

nera in Pharmacum verterent, ac, ipsis etiam diis iratis, ad felicitatis suæ cumulum fruerentur. Quis etenim reis, impendentis iudicii metu territis, felicitatis genus esse, nesciat, procrastinata sententiæ nuntium excipere, rerumque suarum exitum, in aliam tempestatem missum, audire, quem intra dies aliquot magno sui dedecore successurum, ominabantur.

Narrationem hanc totam ægre patitur Quætionum Auctor, (1) eamque ab omni veri specie remotissimam dicitur, qua potissimum parte meditata definitionem, in suspensio positam, diximus, Interdicti Veneti occasione; ne quo tempore se ipsos, fortunæque suas pro Apostolica Sede Jesuitæ devovebant, novo Pontificis telo conficerentur. Verum nihil id a vero abhorre, plus satis evincit celeberrimæ Controversiæ exitus, quæ, decimo-quinto vertente sæculo, de fuso Christi Sanguine, mota est: cujus meditata definitionem, in aliud tempus protractam, legimus; (2) ne FF. Minores, qui iudicium suffragium deciderant, & quorum tunc erat contra Turcas Predicatio necessaria, offenderentur. Nec modo vero similem narrationem hanc nostram, sed veram omnino, fatebitur, qui rem bona fide ex adiunctis pensare, & cuncta mutuo conferre voluerit. Nam Perronium Auctorem fuisse Romæ, ut Controversia de efficacia gratiæ silentio involveretur, constat ex Ciaronii continuatoribus. (3) Eundem hanc Veneti Interdicti occasionem, uti moræ Auxiliorum liti incipientiæ opportunam, diu ante pervidisse, longe certius. Ita quippe hero suo, Henrico IV. scribebat die II. Julii 1606, altero videlicet mense post Jesuitas, a Venetis ejectos: *Je crois, que la chose veindra son cours, & il n'arrive quelque incident, sur le fait des Venitiens, qui l'interrompe*. Ortam demum ex temporum circumstantiis vulgandi iudicii difficultatem, inquit Coronellus; dum in ultimo Cardinalium confessu a Paulo V. quaesitum, ait, *An expediret, his maxime temporibus ad Apostolicam Definitionem devenire*? Has porro temporum circumstantias, quæ promulgandæ sententiæ difficultatem ingerebant, nuper enatas fuisse, necesse est; ac tum maxime post habitam Congregationem die 8. Martii 1606. in qua edendi diplomatis consilium ceperant: nihil enim ante id temporis observatum erat, quod Apostolicam definitionem morari posset. Quam igitur ille erant, nisi quæ Veneti Interdicti, factaque ab Jesuitis fortunatum suarum iacturæ occasione oriebantur? Scilicet prædenter estimatum est, inhumanum orbis Christiano visum iri, si quo tempore Apostolicæ Sedi fortunæ, & capita devovebant, Apostolica doctrinæ suæ damnatione infamarentur.

## CAPUT XXIII.

Lis, adversus Molinam instructa, sub iudice etiamnum est: nullogue ad hanc usque diem Sedis Apostolicæ iudicio finita, compositæ est, ut absolutus Molina dici possit.

Actum hic reagere cogimur vel inviti: sed hanc nobis necessitatem imponit recentium Fabulatorum audacia, quibus omnia pro arbitrio fingere, vel negare, perinde licet. Rifum teneo vix postulum, dum festivos Societatis Scriptorum

(1) Quæst. v. c. 9. (2) Lege Caput sequens. (3) In eius vita. (4) Vide in Appendice Num. XXIV. (5) La doctrine des Jésuites a été fortement attaquée à Rome sur les principaux points, elle y a été si bien soutenue, qu'après vingt ans de disputes, & de combats, les Souverains Pontifes permis de l'enseigner publiquement, & par tout, ont défendu de la censurer. Cela seroit-il, s'ils ne l'avoient pas jugée sainte, & irréprochable? Par là les Peres de la Société demeurant en possession de leur doctrine, ont triomphé de leurs ennemis, qui ont été obligés de leur céder le champ, d'où ils avoient voulu les chasser. *Refutation des Mémoires du Séminaire de Liège p. 21.*

xit, ut in huiusce argumenti tractatione nullus partem alteram nota aliqua, vel censura notare audeat. Declarationem, ac determinationem suam datum se Pontifex Maximus eo Rescripto profertur; isti e contra, Rescripti Pontificii violata fide, declarationem latam obtendunt, latamque pro Molina sententiam. Immo, quod festivum magis, ac lepidum est, illud ipsum Pauli V. Rescriptum iudicii loco esse, voluit, quo se Paulus ipse iudicium opportuno tempore promulgaturum adpromisit. Adeo est illis quilibet audendi, fingendi, negandi summa potestas.

Hoc idem contra tot fabulas, ac nenas evincit Inquisitorum Hispanensium Edictum, die 9. Septembris, sequentis anni promulgatum; necdum scilicet iudicium Pontificium prodidisse. Scire faciunt, S. D. N. circa materiam de Auxiliis Divoine Gratiæ ordinasse tam Disputatoribus, quam Consultoribus, qui Romæ huius negotii causa assistebant, ut domum possint reverri, esserens, se opportuno tempore suam evulgaturum determinationem. Interim præcipit cum rigore, ut in tractanda hac controversia nemo audeat alteram censuram partem.

Et paucis interjectis: Facultatem præstamus interim, quoad Sua Sanctitas resolveret de Controversia, ut possint disputare, & tractare de præfata materia. Indeque effectum est, ut qui primum e Societate, & audita in Hispania Congregationum solutione, vel adjudicata Molinæ causam, vel doctrinam ejus absolutam iactarunt, gravissimam animadversione excepti sint, ut plenius sequenti capite demonstrabimus.

At nec secretiora illa instrumenta conquirere necessum erat, ut sua de pronuntiata sententiæ præjudicia exuerent Societatis Actores, & a venditandis istiusmodi fabulis abstinere. Domesticas tabulas, fuscque commentarios consulere, satis erat, ubi Claudii Aquaviva, Societatis ea ætate Præpositi Generalis, Epistolam transmissoriam invenisset, qua suos de rerum istarum exitu, Pontificisque voluntate commovebat, die 5. Septembris. In negotio de Auxiliis, scribebat ille, *facta est potestas a Summo Pontifice cum Disputatoribus, tum Consultoribus, redeundi in Patrias, aut domos suas: additumque, fore ut Sanctitas Sua declarationem, & determinationem, quæ expectabatur, opportuno promulgaret*. Necdum ergo promulgata sententia est, necdum finita lis, vel amice composita, necdum absolutus Molina, sed, uti reus de suscitato Pelagianismo postulatus, sententiam etiamnum expectat. Nihil quippe post illud Pauli V. Rescriptum ab Apostolica Sede in Molinæ causa prodidisse, certissimum est.

An autem spe bona obtinendæ demum absolutionis fruatur interim, dicant, qui Romanorum Censuram, quos ad motæ lites examen vocaverat Pontifex, iudicia, a Secretariis instructa, legerint. Quis enim aliud pronuntiaturum Pontificem putet, quam quod tot illi meritis viri, Molinæ doctrinæ iudices dati, ferendi iudicii Pontificii administrati, instruendæque sententiæ adiutores adsciti, eodem iudicio præsentem, & annuente Ecclesiæ Capite, pronuntiarunt? Quis tot illa Cardinalium, Episcoporum, Theologorumque iudicia, Romæ septennio, & amplius præsentem Pontifice, meditata, quibus Molina Pelagianismi reus est dictus, eo demum reditura speret, ut innocens absolvat? Si quem illa spes alit, nostro quidem iudicio, vento pacitur. Nec enim id iudiciorum ordinem ferre novimus: tamen quid Pontifex suprema possit auctoritate, non ignoremus.

Interea tamen, quid Paulus V. egerit, satis opinor, in aperto est. Sententiam jam a se latam esse, instructumque iudicium, suo ipso, de Serry Tom. I.

quo hic agimus, Rescripto significavit: nec se iudicium laturum, dixit, sed latum jam oportuno tempore promulgaturum, facturumque juris publici. A suo tempore la Sanctitas Sua data suori la sua declaratione, & determinatione. Id & ipse Societatis Præpositus Encyclicis litteris suos monuit: *Additumque, inquit ille, fore, ut Sanctitas Sua declarationem, aut determinationem, quæ expectabatur, opportuno promulgaret*. Quodnam porro iudicium illud est a Paulo V. jam instructum, cujus promulgationem in meliorem tempestatem missam voluit? Proferant, si quod habent Societatis Actores (nullum enim esse non potest, attestante id ipsum Pontifice Maximo) videamusque, an in eo absolutus Molina triumphet. Nos ex Congregationis Tabulis damus, Billa videlicet ideam a Consultoribus, Paulo iubente, delineatam, qua, uti Pelagianæ sectæ restitutor, damnatus est. Quanquam autem illam publicum iudicii loco nequaquam habendam esse, fateamur, donec ultima ei solennitas Juris accesserit; ita tamen inde certo colligimus, non esse, cur sibi de huiusce Controversiæ exitu blandiantur Molinæ Vindices, suumque Magistrum absolutum, effutiant; cum & nullum Sedis Apostolicæ iudicium ex forma juris existerit: ac, si quod meditari, instructum, paratumque iudicium est, Molinæ profecto caput, doctrinamque ferierit. Timendum etiam illis, ne quod in causa Bani accidisse, notum est, id in ista demum eveniat; ut ex sacris Vaticani Tabulis erurum, Pauli V. Diploma Pontificium, Successorum aliqui, nullo alio instructo examine, denuntiet: uti plane Gregorius XIII. Pii V. in Bajum Diploma Pontificium, & sacris Commentariis erutum, promulgavit.

Sed, inquit Molinæ Vindices, Paulus V. Molinæ doctrinam ulla Pelagianismi, alteriusve erroris nota inuri, suo saltem Rescripto vitavit. Sit ita profecto: ut quid tamen illum Pontifici Rescripti pannulum ab altero distinet, ut illud, suumque Molinam, iudicio Pontifici absolutum, obreant? Rescripti verba sic habent: *Dixit Sanctitas Sua, se opportuno tempore promulgaturam declarationem, ac determinationem suam: atque interim quam serio injunxit, ut in huiusce argumenti tractatione, nullus partem alteram nota aliqua, vel censura notare audeat*. Jam qui fieri potest, ut eo instrumento Molinam Paulus absolvet, quo latum de ejus doctrinæ iudicium in suspensio ponere, & in opportunum tempus transferre se, tam dilucide, tam aperte significat? Non itaque Pontificis absolutis verba illa sunt; sed præcaventis, ne quis interim, donec lata sententia publice prodeat, Sedis Apostolicæ iudicium antevertat, præcipitque censura noter, quod nondum ex præscripto juris ab Apostolica Sede damnatum est. Prudens illa, justaque omnino provisio est summi iudicis, non Rei absolutio. Cautio demum, interim, ut Pontifex loquitur, opportuno quaesita, non lata sententia. Quid enim aliud verba ferant, quid ratio? Ego quidem, quantum sapio, quantum capio, neminem futurum, exitum, cui tantillum sensus communis affulgeat, qui id primo Rescripti Pontificii conspectu non sponte fateatur, ac prober.

Neque vero id exemplo vacat, ut orta inter clarissimos Ordines Controversia, instituto causæ examine, sanctoque iudicio, sententiæ promulgatio in aliam tempestatem, certis de causis, missa sit; interim tamen, servandæ pacis studio, caveatur, ne ulla parti ipsi, quæ iudicio cecidit, Censura inuratur, donec Apostolicæ Sedis iudicium promulgetur ex forma juris. Hoc nobis Spondanus subministrat in Continuatione Annali-  
T t  
lium



Num Baronii, ad annum 1462. Hoc eodem anno magna Quæstio mota est inter Fratres Minores, & Prædicatores de Sanguine Christi, in triduo passionis a corpore separato, utrum Divinitati unitus perseveraverit? Cum enim apud Brixiam Jacobus Marchianus, Ordinis Minorum die Paschæ sermonem ad populum habens, inter cætera afferisset, pretiosum Christi Sanguinem, dum triduo illo jacuit in terra sparsus, indignum fuisse latricæ cultu, quoniam fusus, & a Corpore Dominico separatus, hypostaticam Verbi unionem protinus amiserit: hoc audiens Inquisitor hæreticæ pravitatis, Ordinis Prædicatorum, illico Jacobo præcepit revocare, tanquam erronea, quæ dixerat, & interim contrariam sententiam per unum e suis prædicari fecit. Crescente contentione, & schismate in populo facta, nec valente Episcopo loci tumultum sedare, res ad Apostolicam Sedem remissa est. Qua de re Pius II., eo tempore Summus Pontifex, Præfedis Ordinum mandavit, doctissimos eorum Theologos ad Curiam mittere, quos in festo Natalis Domini audivit disputantes tribus diebus in Palatio Apostolico, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, ac Divini, & humani Juris Doctoribus, qui in Curia erant. Denique post triduum, cum partes, quæcumque voluissent, in medium produxissent, discessit auditorio, Pium cum Cardinalibus peritque diebus rem tractasse majorem partem sententiam Prædicatorum approbasse; paucos cum Minoribus sensisse: Pium quoque cum majori parte fuisse; sed non esse visum, eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudine Minorum, cujus erat contra Turcas prædicatio necessaria, offenderetur; ac propterea in aliud tempus decisionem differri, placuit. Quam tamen nunquam placuit decidere: sed biennio post Anconæ, dum esset navigaturus in Turcas, Calendis Augusti 1464. die ante obitum decima quinta, Constitutionem edidit, qua ad pacem inter illos Ordines, & in universa Ecclesia super hac quæstione conservandam, statuit, nulli licere, opinionem negantem, Sanguinem Christi, in triduo passionis a Corpore separato, Divinitati unitum permanisse, ut hæreticam præscribere, donec per Sedem Apostolicam, quid in hujusmodi Quæstione sentiendum esset, definiretur. Ita Spondanus.

Exitum haud multo abhincem habuit excitata de Divinis Auxiliis Controversia; nisi quod vulganda Apostolicæ definitionis fidem, conceptissimis Rescripti sui verbis oppignoravit Paulus V., ut eam litem minime finitam, extremoque Judicio necdum hæcenus eliquatam, certissime colligamus. His ergo, si lubet, Rescripti verbis se muniant Molinæ Vindices, ut Magistri sui sensa a privatorum Censuris tueantur interim: modo tacite, atque in sinu, & surdo gaudio, Pontificis indulgentia perfruantur; nec finitam idcirco causam, absolutumque Molinam, obendant. Id enim si velint, non ipsa Paulini Rescripti verba, obtusioribus ingeniis obvia, utique patiantur.

Nec tamen feliciter eo scuto se munit larvatus Societatis Actor in supplicii Monitione, ut Illustrissimi Rhemenum Archiepiscopi Censuram, in suorum Theses districtam, evitet, Non enim Scientiam-Mediam Semipelagianismi damnaverat Illustrissimus Archiepiscopus; immo eam in Ecclesia toleratam interim, donec instructa lis extremo Judicio eliquetur, factus erat pag. 130. &

131. Decreti Pastoralis; sed stultam duntaxat eorum jactantiam frægerat, qui Molinians triumphis plus nimio delectati, Scientiam-Mediam, eorum Summis Pontificibus tan diligenter agitam, tanquam aurum in fornace probatam, purioremque inventam esse, & cum honore ex tot disputationum fluctibus emeris, fabulabantur. (1.) Ita quippe damnata ab ipso propositionis verba ferebant. Aliud porro est, Molinæ doctrinam Pelagianismi ex tribunali damnare, (quod donec lati iudicii solemnitas accesserit, non licet,) aliud fatuam gloriationem retundere, qua in fornace iudicii Pontificii probatus Molinismus, et aurum, purisque inventus jactatur, æmulorumque exuvius onustus, & coronatus inducitur. Ut etenim reverentia non patitur, ut quis Sedis Apostolicæ iudicium, in suspensio positum, antevertat, eamque doctrinam prescriptam velit, quæ etiamnum ab Ecclesia toleratur: ita Pastoralis sollicitudo non sustinet, ut si se superbius efferaut, qui sententiam expectant, eamque doctrinam, in sacra iudicii Pontificii fornace probatam, & puriorem inventam obendant, quæ nondum, admoto lydio lapide, probata est. Tantum vero abest, ut læse Pontificiæ auctoritatis reus meritisissimus Archiepiscopus agi possit, quasi ultimam Pauli V. voluntatem sua Censura violaret, uti illum audacissimus Scripserat inculcat, ut patiens eam omni ex parte cumulatissime impleverit, qui utramque Paulini Rescripti partem fatam, testamque voluit in districta Censura. Primam quidem, dum insultos Triumphatores retulit, qui missam a Paulo V. in tempus aliud definitionem Apostolicam, quam jam in Molinæ gratiam prodidisset, arrogantius obrendebant: alteram, dum Molinæ, ejusque sectatoribus Pelagianismi notam, donec suspensa Apostolicæ Sedis sententia prodierit, nequaquam inurendam esse, disertissime pronuntiavit.

Castigandus, immo duriori sententia plectendus mihi venit temerarius Monitor, qui propositionem, ab eruditissimo Præfule juste petitam, instauraturus, novumque Molinæ suo triumphum erecturus, publicam, & constantem fidem appellat. Quod Molinæ, inquit, aliorumque Theologorum doctrina, (qui opæ Scientiæ-Mediæ gratiam cum libero arbitrio conciliantem aggressi sunt, severissime omnium, quibus Theologica doctrina committi potest, inquisitione agitata, purior evaserit. . . factum est constantissimum; cuius sacra Hispania, Lusitania, & Romæ Tribunalia, eorumque publicæ tabulæ fidem faciunt. Factum publicum est, & constantissimum. O frontem nugacissimi, & inveterandi fabulatoris! Ut sua signata vendiderit, illudatque speciosius imprudentibus, publicam fidem appellat, qui privatam deposuit. An ita publici Lusitanæ, Hispaniæ, ac Romæ Commentarii ferant, pronuntiant qui totam istam a nobis adornatam historiam legierat. Quid enim Lusitani, Hispani, atque etiam Belgici ferant, toto libro primo enarravimus: quid vero Romani, quibus in hujusce controversiæ tractatione standum magis, prolixè satis in reliquis diximus.

Stat ergo firma, & inconcussa veritas, Paulum V. fiduciarium Rescripto causæ meritum in suspensio reliquisse, latique iudicii promulgationem in commodiorem tempestatem distulisse: nec modo finitam compositionem non esse litem, aut Molinam absolutam, liberamque dimissam; sed universa e contra promulganda demum sententiæ præjudicia in ejus damnationem conspire. Quo fit, ut, quamvis neutri parti adjudicata lis diei possit; id tamen inter utramque doctrinam discriminis

minis occurrat, quod Thomistica præjudiciis Congregationum interim potitur, eaque idcirco ratione doctrinalibus saltem iudiciis probata, asserta, confirmataque sit. Moliniana e contra istam iudicii prædamatam, & ad tempus, donec ultima forma juris accesserit, tolerata.

Eam tolerantiam notam, qua meritisissimus Rhemenium Archiepiscopus suo in Decreto Molinæ doctrinam fugillaverat, malo animo habet libelli famosi larvatus Actor, Aut duram nimis, & Moliniano nomini indecoram. At dura sit, & amara; excedenda tamen, utpote quæ ex positis, probatisque principiis sponte fluit. Quis enim doctrinam, a suo ipso Actore, uti novam, venditam, ad Tribunal Pontificium illico traductam, doctrinalibus Censuram deputatorum iudiciis, integro fere decennio habitis, prædamatam, instructo demum Pontificio Diplomate confixam, missa tamen in opportunum tempus sententiæ promulgatione, volitantem adhuc; quis, inquam, doctrinam eo rerum concursu positam, aliter quam non damnatam, & toleratam appellet? Mitior profecto, suaviorque nota illa est, quam ut cuiquam movere stomachum possit, qui rerum omnium eventum, & exitum certo noverit.

Verum instat ille: Si sic est, Scholæ quoque Thomistica dogmata, non nisi permissa interim, ac tolerata dici poterunt. Equæ quippe utriusque Scholæ conditio: utraque perinde, ab æmula parte tractata coram Summo Pontifice, rationum obit: utriusque demum Pauli V. sententia ex æquo communis existit, quovis tandem nomine vocetur, approbatio, an tolerantia, an demum sentiendi pro arbitrio, docendique venia: nulla Scholæ inter facta discretio est.

At primo quidem sententiam a Paulo V. nullam re ipsa latam esse, sed factam duntaxat sententiæ, opportuno tempore promulgandæ, denuntiationem, satis, opinor, ostendimus; falsum vero, utramque scholam ex æquo ab æmula parte fuisse tractatam, si ipsos etiam Societatis auctores consultare libet. Prædicatores enim, religioso tuendæ Catholicæ fidei zelo, Moliniana dogmata ad Summi Pontificis tribunal detulisse, testis est, ipsique locupletissimus Didacus Baësa, Societatis Theologus, tametsi medullitus Molinista, tom. 3. comment. moralium in Evangel. histor. lib. 15. cap. 2. §. 7. Laudo, inquit ille, sacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro fide stans, ubi Ludovici Molinæ, Societatis Jesu splendidissimi Theologi, CONCORDIAM de libero arbitrio suspectam habuit, rem ad fidei Judicem Summum Pontificem detulit; & vel suspecta dogmata asterisco notans, eorum tanto Judice alacriter pro fide pugnavit. Contra vero Societatis Theologi, animo potius in transfusum acto, ac veluti clarigationis jure, de Thomistarum dogmatibus expostularunt, ut ea dextera machinatione objecti Pelagianismi censuram averterent. Sincerior hic Ripaldæ, Societatis Theologi fides, quam ut res vertatur in dubium. Bannes, inquit ille, tom. 2. disp. 113. sect. 9. & plerique ejus discipuli in publicis disputationibus, privatisque sermonibus, ceperunt notare Molinæ sententiam, ut Pelagianam: Nostri e contra, ut notam Pelagianismi evitarent, objiciebant oppositæ notam Calvinismi. Ac re ipsa quidem nemo omnium inventus est unus, qui in hac tot gravissima controversiæ tractatione Prædicatores non ut Actores agnosceret; Molinianos ut Reos in iudicium adducios: quod videlicet nemo non nosset, Molinianos de Prædicatoribus expostulasse, duntaxat incepta causa, ut crimen in suos Actuatores regerent, ipsique Pelagianismi suspicione liberarentur. Quin etiam fuit hæc So-

cietatis communis opinio; quæ ubi primum datam interim a Paulo V. utriusque Scholæ doctrinæ tuendæ veniam inaudivit, illico adjudicatam sibi ipsi litem conclamavit: quod & Brietius, jam a me appellatus, suis Annalibus inseruit. Id enim nulla veri specie conclamasset, si utriusque Scholæ sententia ad Tribunal summo jure, & ex æquo ab æmula parte tractata fuisset. Sic quippe facta utriusque sententiæ docendæ venia, utriusque vel ex æquo adjudicata lis, vel nulli concessa dici potuisset. Sola itaque personam Reï sustinebant, qui, data utriusque parti doctrinam suam interim propugnandi venia, soli tamen adjudicatam sibi litem existimarent. Quod tamen merito-ne, an immerito conclamant, dicemus sequenti capite.

Falsum rursus, Pauli V. Rescriptum utramque Scholam ex æquo petere; aut certe utriusque pariter ex tolerantia indulgisse, ut sensa sua sine alterius partis morfu tueretur; si nempe Rescriptum hoc cum antea, & præjudiciis in antecessum, conferatur. Cum enim Moliniana dogmata, in tota causæ tractatione, ac demum in meditata Bulla, Pelagianismi damnata sint, e contrario Thomistica, sana, ac plane Augustiniana pronuntiata fuerint; quæ demum a Pontifice utriusque parti venia facta est, sua interim sensa tutandi, donec instructa sententia palam prodeat, Moliniana quidem Scholæ, occulto iudicio prædamatæ, indulgentia est, tolerantia, ut summe permissio; Thomistica, eodem occulto iudicio absoluta, jus summum, ac strictum. Id exemplis competunt habes. Nam, si e duobus, ad tribunal vocatis, alterum, instructa causa, innocentem agnitum, alterum reum convictum videris: interim tamen Judex, missa in opportunum tempus meditata sententiæ promulgatione, utrumque interim suæ fortunæ permittat; nunquid indulgentiam in unum, in alterum jus summum factum agnosces? Id plane in ea, de qua nunc agimus, lite comprobatur est. Scire tantum hic juvat, ne quid huic ratiocinio desit, an in præjudiciis Moliniani damnati sint. At non ipsa tantum secretiora, quæ culimus, hujus Historiæ documenta probant, sed sua ipsa agendi ratione Molinians significant, cum a Prædicatoribus toties provocati, ut, conjunctis studiis, pro definitionis Apostolicæ, a Paulo V. meditata, promulgatione, coram Apostolica Sede supplicarent, toties pedem retulerint: adeo illos instructi in Molinam iudicii conscientia mordet. Qua de re plenius infra, ac præsertim capite penultimo.

Falsum demum, Paulum V. Rescripto suo veniam fecisse interim Molinianæ doctrinæ distincte tuendæ, uti larvatus Societatis Monitor confidenter pronuntiat. Hoc enim unum Rescripto sanxit, ne cui in Divinorum Auxiliorum tractatione partem alteram mordere liceat, *Tra tanto ha ordinato molto seriamente, che nel trattare di questa materia, nessuno ardisca di qualificare, o censurare l'altra parte.* Nulloque pacto, vel leviter innuit, licere interim hujus argumenti tractatoribus, privatas Molinæ opiniones defendere. Quare non erit imprudens, qui Pontificum Rescriptum intelligendum putaverit, salva juris, & conditionis prærogativa, quam anno 1598. Clemens VIII. Prædicatoribus afferuerat: ut videlicet ii de Divina Gratia tractarent juxta D. Thomæ mentem, uti hæcenus egerant; Molinians contra, non ut hæcenus egerant, & juxta Molinæ placita, sed ea solummodo lege, ut sanam, & catholicam doctrinam tuerentur. Sic enim Pontificis nomine declaraverat Cardinalis a S. Severina, die 26. Februarii 1698. uti plenius capite ultimo libri primi dictum est.

(1) Vide in Prefat. §. 4. Et hic cap. seq.



## CAPUT XXIV.

Jesuitæ Hispani, audito rei nuntio, victoriam sibi accipiunt: horum jactantiam, & gloriationem Paulus V. privatis Rescriptis coarctari jubet. Galles Triumphatores censura notat Archiepiscopus Rheimensis.

UT primum vulgari cepit Pauli V. Rescriptum, quo iudicii promulgatio in aliud tempus mittebatur, non uno, eodemque vultu a partibus dissidentibus exceptum est. Prædicatores, qui adjudicatam sibi litem certo noverant, audita sententiæ procrastinatione, confirmabantur; cum ex adverso Molina Vindices, qui corrugantes in fulmen nubes observaverant, jamque de doctrina sua actum penitus existimabant; accepto dilata sententiæ nuntio, quasi extremo subditi periculo, triumpharent.

Id in Hispania maxime videre fuit, ubi usque adeo Jesuitæ falsis reportatæ victoriæ rumoribus plebem universam occupaverant, ut pene Prædicatores digito monstrarentur. Nec vero eis hujusmodi mendacis plebem alere, satis erat: hanc etiam Salmanticæ, Vallisoleti, Valentia, Villagarcia, Toleti, publicis gaudii significationibus recrearent. Feriæ universis studentibus triduum indictæ; volatilium ignium festivi apparatus; publicæ fabularum actiones; tauri, per plateas, & vicus agitantur; triumphales arcus, magna mole positi, quorum in fronte aureis litteris incisum erat, MOLINA VICTOR: atque inter eos profana gentilitatis ludos solennia sacra in gratiarum actionem offerbantur. Fuere, qui varias inter Molinae laudes sacros ei titulos deferrent, victoriamque, quanta quanta erat, Hujusce sancti Patris (sic enim loquebantur) meritis adscriberent.

Quis non videat, quemadmodum hic error de iudicio, ubi convicius, atque damnatus est, tamquam de victoria gloriatur? Verba sunt Augustini lib. de Gestis Pelagii cap. 29.

Verum non diu penes vanos triumphatores mendacii sui stetit usura. Romam quantocius perlatam res est. Epistolas transmissorias, quibus amicos de reportata victoria commonuerant, aut ad indictos ludos invitaverant, Notariorum fide recognitas excepit, nec sine risu legit Paulus V. Unam hic Lectori dabo, ex qua cæteras discere, & impotentem exundantis lætitiæ sensum nosse liceat.

Epistola Antonii Montefino, Societatis Jesu, ad Illustrissimum Virum Joannem Gasco, Dominum de Riofeco.

(1) VIR ILLUSTRISIME, Dei Optimi Maximi beneficio factum est, ut nuntium longe lætiorem exciperemus, quam unquam, ex quo tempore instituta Societas est, nobis eveniret, aut unquam eveniret in posterum. Summus Pontifex Societati litem adjudicavit in ea prægravi controversia, quam ante tot annos adversus Scholam nostram Prædicatores, objecta pertinaciter hæreseos accusatione, instituerant. Jam tandem oraculo Pontificis Ludovici Molinae, in quem potissimum movebantur, doctrina omnis vera, atque catholica, supra omnium nostrum vota pronuntiata est; atque idcirco adversa sententiæ, quam pro-

stentur Prædicatores, hæretici, aut certe suspecta putanda erit. In hujus rei gratiam nobis in animo esset, noctem hanc festivo ludis transigere, Missamque admodum solemnem crastina luce matutinis horis celebrare, pro gratiis referendis. Quapropter dignabitur Dominatio Vestra, Castellæ sui Tibicines, & Tympanotribus mittere quantocius, qui hic totam noctem, diemque crastinum, ad horas usque serotinus permaneat, Pecuniam presentium latori numeravimus, ad coemendos ignitos tubulos volatiles: id enim pro cæteris in mandatis habet. Poterit Dominatio Vestra, si libuerit, nuntium hunc intra diebus suis sine periculis: immo Prædicatores ipsi, si se dederit occasio, denuntiabit. Datum in Villagarcia, die 20. Octobris 1607. ANTONIUS MONTESINO.

Hæc eadem Thomam de Lemos frequentibus Epistolis monuerunt Hispaniæ Prædicatores; ut intemptivos triumphos, vanamque gloriationem suis apud Pontificem officiis coerceri, provideret. Riformæ potius, quam lacrymas moveant, dicat, qui legit.

(2) Molesto omnino sensu, scribebat Joannes de Arcediano, Hispaniæ Provinciæ Moderator, die 27. Octobris, definitionem controversiæ de Divinis Auxiliis adeo differri, ut Societatis Patres victoriam hic sibi accipiant. Palentia taurus per plateas, & vicus agitantur, aliasque dedere publicas lætitiæ significationes: doctrinam suam, uti probabilem admissam, jactitantes; illamque deinceps eodem loco futuram, quo Immaculatæ Conceptionis opinio relicta est. Villagarcia, aliisque passim locis, festivo ludis indicti sunt. Quibus de rebus authenticæ documenta mitti possunt, ut moneatur Sanctitas Sua. Addebat, ut de reliquis taceam, Petrus de Herrera, Primariæ Cathedræ in Academia Salmanticæ Professor, in suis, sub die 20. Novembris, (3) Nonnulli Societatis Patres, minus prudentes, affirmarunt, Sanctitatem Suam Molinae librum approbasse: hujusque sancti Patris Orationes iudicium hoc e celo obtinuisse. Hic publico programme inscriptum ab illis fuit, MOLINA VICTOR. Villagarcia, & Palentia festivos ludos, & scenicas fabulas celebrarunt.

Non multo post, publicas Hispaniæ Provinciæ Ord. Præd. supplicationes, datis ad Paulum V. Epistolis, detulit, qui præerat Joannes de Arcediano, una cum Collegii Vallisoletani moderatoribus: de injuria, sibi a Patribus Societatis irrogata, querebantur, quod in ipsos, facta veluti manu, & erecto minaciter supercilio, petulantius insurgerent, suasque de reportato triumpho fabulas etiam ex pulpito venditarent. Sic illi suppliciter tristes precabantur.

## BEATISSIME PATER.

Cum in te uno, Christiani Orbis Parente, & Pontifice Summo, fidelium spes sita sit, solatiūque locatum; non possumus non summa cum fiducia Beatitudinem Vestram exorare, ut quæ in Republica nostra emergunt, pacique, ac tranquillitati ejusdem videntur obesse, propulsanda, ac repellenda curet. Quapropter cum nuper rumor quidam irrepserit ex minus recta intelligentia eorum, quæ circa materiam de

„ Au-

Auxiliis, tot adhuc annis controversam, Beatitudo Vestra statuit observari; Patres Jesuitæ, nescio quo spiritu arrepti, in nos invehantur, & quasi extenso brachio elevati, publicis demonstrationibus populo persuadent, doctrinam, quam P. Molina edocuit, & omnia, quæ in ejus libro exstant, vera esse, catholica, & a fidelibus tenenda; & quod magis pensandum est, id Apostolico Decreto sanctum, affirmant. Insuper doctrinam nostram hæresi subjacentem, & ad minus suspectam astruxit quidam Pater Antonius Montefino Jesuita; ut ex ejus Epistola, data in Oppido Villagarcia, & ad Oppidum de Riofeco missa, valet deprehendi. Necon etiam in Palentia Urbe, alius ejusdem Societatis Pater suggestum concessit, & inter concionandum, idem, ut dogma certam, populo proposuit. Et in multis Hispaniæ locis, ut Salmanticæ, Toleti, Medinæ del-campo, id ipsum prodidit; & accessit civibus, cereis luminariis accensis, sonitu, clangoreque tubarum, voti compotes contra nos evasisse, gloriati sunt, & utriusque sexus fidelibus id in animum inducere studeat, & affectant. Mulieres enim invisentes tam supremæ, quam infimæ notæ, sine aliqua prorsus distinctione, de hac materia verba faciunt. Et quamvis Religio nostra Prædicatorum iis veluti injuriis lacessita, & labefacta videatur; eoque animo hæc facta existimet, ut nos canes Dominicos fugillare, latratuque nostros comprimere valeant, Angelicis Doctoribus, S. Thomæ Aquinatis, doctrinam, ab Apostolica Sede summis laudibus evectam, & Oecumenicorum Conciliorum Decretis approbatam carperet nitantur: hæc, inquam, licet non mœnore afficiant; quod tam molestant nostram augeat, acerbiorumque dolorum nostrum facit recrudescere, est cognoscere, in re gravissima, tantique ponderis, eos Patres ausu temerario Sanctæ Sedi Apostolicæ, Beatitudinique Vestræ falsum testimonium imponere, & contra mentem ire, animisque hominum, ut vera, hæc inferere. Ex quo ingens scandalum in Ecclesia pulsat, multique ex fidelibus turbari incipiunt: Nos etiam rubore suffundimur, & intra privatos parietes delitescere cogimur, plurimique catholici sapientissimi, deficientes animo, ab incepto tramite defendendi veram, salubremque doctrinam pedem avertunt. Si enim cum tanto detrimento, & præjudicio hæc præstanta sunt; quis non succumbat, & retrahatur, etiam multa impugnatu digna erumpant in Ecclesia? Hæc sunt, quæ nostram Provinciam Hispaniæ, istudque Gregorianum Collegium summopere affligunt. Tu ergo, Pater Sanctissime, cui pro munere incumbit, agrum Ecclesiæ sibi destinatum, zizania purgare, hæc videas, pio mediteris affectu, nosque, filios tuos, & alumnos, provolutos pedibus tuis sanctissimis, foveas, & respicias. En adsumus sanctissimæ tuæ dispositioni obtemperantes, & (pro ut moris in nostra Religione est) catholicis decretis, libenti animo, summissaque cervicè, asculantibus; suppliciter omnes Vestram efflagitamus Beatitudinem, ut, quæ in eis tenenda sunt, definiat, & statuat, ut Christianus populus feliciter incedat, pax, & quies in nostris finibus reperiat, omniaque, oprato nitore restituta, subsistant. Vale, Sanctissime Pater, Teque Deus Opt. Max. incolentem servet. Datum in Vallisoletano D. Gregorii Collegio, die 26. Novembris, anno D. 1607. Vestræ Sancti-

tatis humiles servi, & filii. Fr. Joannes de Arcediano, Provincialis Hispaniæ, Ordinis Prædicatorum. Fr. Petrus Palandinus, Rector Collegii S. Gregorii Vallisoletani. Fr. Didacus Nunno, Magister, & Studii Regens.

Humiles illas Hispaniæ Provincie supplicationes suis apud Pontificem officiis promovit Franciscus Pegna, (1) Rotæ Romanæ Decanus, die 28. Decembris, qua ad secretiorum Sæcæ Sanctitatis audientiam admittit est. Exposuit vir sapientissimus, Hispaniæ Regnum perpetuo schismate discissum iri, nisi intra breve tempus, quam promiserat, sancti iudicii promulgationem palam faceret: Regem Catholicum, hæc una imminenti, ut continebat, promulgationis expectatione etiamnum ali, qua sola hujusmodi hominum audacia coerceri posse, videbatur: Novas demum in dies deregi nonnullorum artes, qui Pontificiæ auctoritati petulantius obloquerentur, & ad Concilium generale pro finienda controversia provocandum, existimarent.

Tria hæc alto secum animo reputavit Paulus V. mox Regi Catholico ab Hispaniarum Oratore, suo nomine, scribi iussit, usque adeo fe Auxiliorum controversiæ non oblivisci, ut illam e contrario præ cæteris Pastoralis officii curis memoriam defixam gereret, eamque die qualibet, Sacra faciens, Deo commendaret. Subjunctum cum stomacho Sanctissimus Pontifex, multum abesse, ut suo illo Rescripto litem Jesuitis adjudicasset, cum eorum doctrinam, nequidem uti probabilem, admittisset. (2) Con multo sentimento, inquit clarissimus Pegna in adversariis, me dixi, no ser verdad, que huviesse aprobado la opinion de los Padres de la Compañia por probable.

Interea Hispani Episcopis, Inquisitoribus, cæterisque Viris Religiosis, qui vanos Societatis triumphos, sparsoque rumores denuntiaverant, ab Oratore Regio, Francisco Pegna, & Thoma de Lemos rescriptum est. Communem Epistolarum formalam, sibi in antecessum exhibitam, legit semel, & iterum Paulus V., atque in hunc modum emendavit, quem ab eis in scribendo servari voluit. Hæc porro erat Epistolarum formula.

Es visto, lo que V. S. me escrivió en la materia de Auxilios. Y me maravillo mucho, que contra la intencion de Su Santidad esen afirmar semejantes cosas: por que la verdad es, que Nuestro Señor no a establecido cosa ninguna. Antes aviendo a si reservado la determinacion, actualizate pienla, y trata della. Y afirmar lo contrario, es grande desacato de injuria, que se haze a la persona de Su Santidad, y a la Santa Sede Apostolica. Que es todo, lo que puedo dezir en esta causa, con toda la seguridad, y certeza moral, que se puede tener. Y de todo lo contrario que a contedere de aviso: para que los inobedientes sean conocidos. Quod ita Latine reddas: Legi, que scriptis Dominatio Vestra circa Auxiliorum controversiam. Obstupescit vehementius, quod contra Sanctitatis Sæcæ mentem hujusmodi fabulas distitaret, atque in vulgus spargere audeant. Certissimum quippe est, sibi a S. D. N. definitum esse. Immo post reservatam sibi determinationem, eam etiamnum animo meditatatur, & tractat. Quapropter qui oppositum affirmant, aut divulgant, summe impudentia rei sunt, & injuriæ, que Sanctitati Sæcæ, & Apostolicæ Sedi irrogatur. Hoc unum est, quod mihi hæc in parte, omni asseratione, omnique, quanta haberi potest, morali certitudine dicere liceat. Rescribas, si quid in oppositum tentari contigerit, ut dignoscantur inobedientes. Rome 8. Januarii 1608.

Sta-

(1) Ex Adversariis Pegne. (2) Non sine stomacho mihi dixit, verum non esse, quod ipse opinionem Jesuitarum, ut probabilem, approbasset.

(1) Ex Hispano Latine datur. Exstat in Collect. Lemofii.

(2) Mucho me ha pesado, que la publication de la causa de Auxilios se dilate tanto; que los Padres de la Compañia publicen por aca victoria, y en Palencia corrieron Bueyes por las calles; y hizieron otras alegrías; publicando, que su sententiæ se havia dado Pro probable, y que se quedaria para siempre, como la Concepcion de Nostra Señora. Y en Villa-Garcia y en otros Conventos, hau hecho grandes fiestas. De todo lo qual se podria embiar testimonio cierto, para dar cuenta a Su Santidad.

(3) Algunos Padres de la Compañia meno considerados dixeron, aver Su Santidad aprobado el libro del P. Molina: que las Oraciones de este santo Padre desde el Cielo lo avian alcanzado. Rotularon le aqui, MOLINA VICTOR. En Villa-garcia, y Palencia hizieron fiestas de cohetes, mafarras &c.



Statim atque Rescriptum istud (quod, jubente, ac veluti dicente Pontifice, missum clarissimi viri significabant) in Hispaniis exceptum est; tota evanuit inanum Triumphatorum gloria, qui tot mendaciorum pigmentis stolidam plebem implanerant: quamquam ad dissipandam vanitatem primum Pontificis Rescriptum plus satis esset. Hincque experimento comprobantur universi, quam injusto, improboque titulo litigarent, qui, ob unam iudicii dilationem, victoriam sibi cecinerant: cum si potius injuriam irrogari sibi putent, qui se causa superiorum existimant; ubi sanciti iudicii promulgationem in aliud tempus differri sentiunt.

Stabant nihilominus animis Molinæ Vindices, pristina licet statione pulsi, De S. Thomæ doctrina longe quam antea licentius pronuntiabant; novas in dies cedebant opiniones. Quæ res Generali Ordinis Prædicatorum Capitulo, Romæ anno 1608. celebrato, causæ fuit, ut istud pro Hispaniæ Provincia decretum eaderet. Injunctum Admodum Reverendo Patri Provinciali, ut de gravi consilio prudentium designet quatuor Patres in Provincia, doctrina, eruditione, scribendi usu, & peritiam præstantes, qui omni studio in hanc unam curam incumbant, ut solidam, & sinceram S. Thomæ doctrinam modis omnibus propugnent, novisque doctrinas, & opiniones exorientes compriment, ac resellant, editis, & publicatis hisce de rebus libris, & tractatibus, ad communem utilitatem.

At deteriori adhuc res loco fuere secutis temporibus. Spretis Pauli V., & Romanæ Curie Rescriptis, litis exitum dissimularunt Molinæ Defensores, ut multo confidentius domesticis triumphis applaudent. Hinc Didacus Baesa tom. 3. Comment. moral. in Evang. hist. lib. 15. cap. 5. §. 7. Ea erat, inquit, Molinæ doctrina, quam nec anni domere decem, nec prælia mille, immo post tot prælia, post tot doctrinarum hominum jacula, judicante Pontifice Maximo, invulnerabilis apparuit.

Sylvester Maurolicus lib. 5. Oceani Relig. Liber de Concordia gratiæ, & liberi arbitrii, postius in fornace examinis Pontificii, & sæpius igne probatus, deprehenus est aurum, omnibus numeris purgatissimum. Quæ verba exscribit Theophilus Raynaudus Diatr. 8. §. 140., suaque facit.

Franciscus Perronius in Theibus, Tholosa habitis anno 1681. Dis, multamque Romæ, & magna animorum contentione disputatum est a Doctoribus Ordinis S. Dominici, & Societatis Jesu. At post longum, & accuratum examen, libera mansit, & incolunt Scientia-Media.

Alii passim Scientiam-Mediam victicem appellant, quia non victam. Quos inter P. Labbe Molinam his ornat coronis, & floribus, lib. 2. Elog. pro reportato Scientiæ-Mediæ triumpho.

Hic est vir ille, cujus doctrina, non vita, Publica Academiæ ibestis.  
Alicubi victrix, ubique hæcenus invicta stetit.  
Nulla pars doctrinæ contra fidem;  
Non omnis tamen de fide est.  
Nulla pars falsa; non omnis tamen est certa:  
Nec certior adversa doctrina.  
Utramque permittit Roma, neutram damnat.  
Utra postior sit, iudicent docti.  
Hæc ad examen vocata, indennis exitit:  
Altera nondum ad examen venit.  
Timere initio cepit, dum crederetur nova:  
Timere desit, cum apparuit veterana.

Pergebant, quo pede cœperant, festivi Triumphatores. Majorum exempla secuti, novum Molinæ suo Rhemis triumphum excitaverant die 5. Decembris anni 1696. de quo prolixius in Præ-

fatione, paragrapho quarto dictum est. Scientiam-Mediam his floribus coronaverant in Theibus publicis: Doctrinam Ludovici Molinæ, aliorumque Theologorum, qui concordiam libertatis humane cum Gratia Divina ope Scientiæ-Mediæ tradere enucleatius tentarunt, ita ab errore Calvinii, aliorumque Helijæ aratis sectariorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullo modo accedat. Et ideo tam valde impetita, toties a diversis generis hostibus impugnata, & coram Summis Pontificibus tam diligenter agitata, tanquam aurum, in fornace probata, purior inventa est, ut ait Maurolicus, & cum honore ex tot disputationum fluctibus emerit. Verum prelo fuit Illustrissimi Archiepiscopi, ac Ducis vigilantia. Excitatum triumphum solennis Censura deiecit, ac disturbavit die 15. Julii anni 1697. Propositionem, Theibus inscriptam, uti falsam, temerariam, scandalosam, captiosam, & in errorem inducentem, damnavit, Decreto publico, ad Academiam Rhenensem directo, summa eruditorum omnium veneratione suscepto: cujus defensionem, tametsi ope nostra non egeat meritisissimi Archiepiscopi, magnam Historiæ nostræ partem consecravimus. Quæ de re consule Præfationem, paragrapho 4.

## CAPUT XXV.

Ferdinandus de Bafida Hispaniam repetit, ubi Societatis doctrinam, & habitum exiit. Hujus Historiæ veritas contra nonnullos Scriptores defenditur.

Fuit hæc Molinæ Scholæ jactura non levis. De discessu in Hispaniam cogitaverant partis utriusque Disputatores, cum primum ex Pontificio Rescripto æstimatum fuit, velle illum, ut abirent universi. At secretiori Dei consilio effectum est, ut ex Prædicatoribus nemo discederet. Alvarezus enim ex Catholici Regis nominatione ad Archiepiscopatum Transensem assumtus fuit eodem pene tempore, quo Generalis Prædicatorum Præpositus, qui suæ etiam in hisce disputationibus eruditionis specimen dederat, Purpuram induit. Lemos, recusato Episcopatu, quem illi Philippus III. obtulerat, Romæ substitit, universalis Inquisitionis Consultor institutus die 25. Novembris 1607.

Solus Bafida Hispaniam petiit sub initium anni sequentis, post sedatam alicantulum hiemis inclementiam. Per Galliam, accepta occasione, iter habuit, duxitque Parisiis mensis aliquot, ut Cardinalem Perronium, quem Romæ Agonothetæ expertus erat, salutaret, totiusque Societatis nomine exsolveret grati animi censuram. Verum obstupuit vehementer, novum ab Eminentissimo Viro indutum ingenium. Cum enim die quadam, præsentè Andrea Duvallo, Regio Sorbonæ Professore, Cardinalis aures variis rationibus obtunderet, quibus Scientiam-Mediam Deo necessariam probabat, ut homines, salva libertate, converti possint; significavit Perronius, longe se aliter sentire; atque inter alia reposuit: Quare non potest Deus dare gratiam per se, & absolute victicem? Eo responso percussus Bafida, Perronium multum ab illo mutatum, sensit, qui Romæ fuerat; rogavitque supplex, ut rem silentio tegeret. Novit profecto servidus Molinæ Vindex, quantum Doctorem inter, & Regium Oratorem discriminis esset. Romæ quippe Oratoris partes Perronius egerat, eoque titulo Societatis causam ex Henrici IV. mandato promoverat: Hic jam Doctoris personam induens, non quid alii vellent, sed quid ipse sentiret, referbat. Guillelmi Gibeuf verba sunt in MSS. prænotatione ad Opus scilicet De libertate Dei, & Creaturæ. Cardinalis Per-

Perronius, inquit, Bafidam Jesuitam ad colloquium admisit, quo tempore Lutetia in Hispaniam inter habens, Regia in urbe aliquandiu subsistit. Cumque bonus Pater magno ei studio rationes exponeret, quibus scientiam conditionalem Deo necessariam contemderat, ut homines, illeja libertate, converteret; significavit Cardinalis, longe se ab illo sentire; ac inter alia reposuit: Quare non potest Deus dare gratiam per se, & absolute victicem? Aderat huic collationi præsentè Dominus Duvallo, Obsupuit bonus Pater, animadvertens, Cardinalem longe aliter sentire, quam putabat ipse; eumque propterea rogavit supplex, ut rem totam silentio tegeret. Novit tunc, quantum discriminis inter se virum inter, qui ex Oratoris Officio Principis sui causam agit; & Theologum, qui Doctoris personam sustinet. Romæ dum esset Perronius, Oratoris partes agebat, voluntati Regis obsecutus, qui hanc illi Societatis causam adversus Prædicatorum commendaverat: hic vero, pro Doctoris officio, quid seipsa sentiret, libere pronuntiabat. Totum id mirabiliter enarravit Dominus Duvallo. (1.)

Eo exsolutus urbanitatis officio iter in Hispaniam profectus est, ubi, excussa Jesuitica professione, Abulæ primum, tum Vallisoleti supplicavit pro Canonicatu, & Gradu Literario in Academia suscipiendi. Scholasticas ob id exercitationes habuit, ex lege sancitas, non sine eruditionis, & doctrinæ fama; quæ sibi ad Antecessoris, & Cancellarii Vallisoletani munus viam fecit. Nova dignitate auctus, sui juris effectus est. Cum veste Societatis doctrinam exiit, sui forte, quod opinari malim, intimos animi sensus, quos hæcenus prudenter abdidit, in aperto posuit, dum Gratiam per se efficacem, seu physice prædeterminantem, ac firmitate suis in prælectionibus defendit, quæ illam oppugnaverat Romæ. Testem nobis locupletissimum profert Joannes Martines de Prado, sanctitatis opinionem notissimum, in Controv. Metaph. part. 2. Controv. 12. art. 2. §. 3. ubi de illis agens, qui physicam prædeterminationem docuerat: (2.) Publice, inquit, nostram sententiam docuit P. Ferdinandus de Bafida, olim Romæ unus ex Scientiæ-Mediæ defensoribus pro Patribus Societatis, a quibus postquam abesse, propriam mentem explicavit Abulæ, & Vallisoleti. Cujus facti testem adhibeo gravissimum, omni exceptione majorem, nempe Illustrissimum, & Reverendissimum D. D. F. Petrum de Tapia, Seguntinum Antistitem; qui totum hoc publice testatus est in Tractatu de Gratia, quem dictavit publice, cum esset Primarius Complutensis.

Mirum, quantum se hoc loco torqueant (3.) Germanus Philaletes & Gabriel Henao, ut Bafidæ palinodiam effugiant! Desertam quidem ab illo Societatem, farentur; nusquam tamen priorem opinionem exutam: tametsi, inquit, in Scholasticis exercitationibus, quas pro Canonicatu, aut Gradu Academico obtinendo habuit, Thomistica fortè Dogmata defenderit, tum ad sui ostentationem ingenii, tum ad Prædicatorum gratiam demerendam. Quasi vero Bafida publicam illam sententiæ suæ simulationem, magnò Scholæ Molinæ detrimento cessuram, & publicæ palinodiæ loco ab æmulis exceptum iri, nescivisset; aut ipsi, si non jam pro physica prædeterminatione steterat, desissent alii Prædices, aliæ Collegia, ubi lauream adipisci fas esset; ut solitas de more prælectiones, tacita præmonitione, habere non posset; aut non foleant publice Professores contrarias sibi opiniones Defendentium arbitrio permittere: ut tam

indigna, tam projecta simulatione Prædicatorum gratiam demereri, necessum esset!

Sed reponit Henao, usque adeo Bafidam, desertam etiam Societate, pro Scientia-Media decertasse, ut pervulgatam olim adagium Vallisoleti circumferretur: Videtur Bafida nihil nisi Scientiam-Mediam, & Auxilia scire; suoque demum Testamento quatuor habitatum Romæ Disputationum volumina legavit Vallisoletano Societatis Collegio, ut, quando per Apostolicam Sedem fas esset, darentur typis. At quid hæc tandem sibi volunt? Profecto, quod primum attinet, Molinianam causam nihil juvat, est verum concedatur: cum & Scientiam-Mediam, aut quemvis errorem scire, necesse sit, ut eo melius impugnetur. Alterum minus urget, nec undecumque veram est. Quid enim si Societatis labores Romæ luebrationes dono dedit? Dedit certe, quod illas Societatis esse, non suas agnosceret, quibus elaborandis suas alii Jesuitæ operas locaverat; aut forte, ut & ipsi rationum vanitatem experti, ejus exemplo castra mutarent. Fingentium quippe est, quod de curandæ editionis voluntate subiungit Henao; cum ea in re a Paulo Fasseau suppositivum olim postulatus, appellatusque, ut Bafidæ Testamentum proferret, vadium omnino deseruerit. Fateri, inquit, (4.) me: antea non cura se de quærendo Bafidæ Testamento, nunquam a me diligenter questum, sed non fuisse inventum. Talibus, o vos, favete Superi!

Nobis satis abunde fuerit, ne aulos quidem Societatis professores Bafida palinodiam iniciant. Nam quod duo isti Abulæ fortasse factum scripturarum, factum omnino profitentur alii ejusdem Instituti Magistri: (5.) quamquam in hoc conspirent universi, ut quod æque dederint, sustinere interpretationibus depriment. Bafida, inquit, Franciscus Oviedo Controv. 10. Physicorum, pando 3. Physicam Prædeterminationem Abulæ defendit inter Claustra Dominicanorum, in prælectionibus habitis pro laurea doctorali. Scilicet dolent oculi, dum suum illum Athletam, transfugum tandem, ac desertorem, & in alienis castris merentem vident: hancque unam refarciendæ jacturæ viam inveniunt, si illum, uti projectum doctrinæ negotiatorem, traducant, qui sensus suos pro varia conditione temporum fenerat. At longe aliter de Bafida pronuntiabant, quatuor libero a præjudicii animo fuerunt. Hunc sanioribus consiliis avocatum, & Cardinalis Perronii, quem Parisiis conditionem faciens viderat, exemplo permutum dicent, ut una cum illo castra mutaret. Nemoque Oviedi diverticulum non ridebit, qui, ne sui Athleta defertionem solenniorer faceret, intra Dominicanorum Claustra conclusit; quasi prælectiones, pro laurea doctorali capeffenda, in angulis, ac semota turba, haberi soleant; ac non potius in rotis Academicæ luce, iis testibus, & arbitris, qui eruditionis, & sufficientiæ iudicium ferant.

## CAPUT XXVI.

Objecta Thomæ de Lemos, aliisque nonnullis Thomistis, palinodia confutatur.

Pandite nunc heliconæ Deæ, dum anilem fabellam remetitur, de decatauta, post solutas Congregationes, ab Lemosio nostro palinodia fabellam, inquam, tot ineptis, mendaciis, & anachronismis scatentem, ut mirari omnino fubeat, virum ante paucos dies inventum esse, qui eam, novis

(1) Persum ex Gallico, quod habetur supra Lib. III. c. 45. (2) Idem referunt Thomas Soneges in Elucid. ad mensum Martii. Auctor Apolog. Censur. Paulus Fasseau cap. 2. sect. 6. Compen. Historiæ de Augustiis. (3) Germ. Philaletes, Gabriel Henao, & alii. (4) Sect. 174. n. 1857. (5) Apud Piccin. Tam. 3. de Approb. Doct. 5. Thom. pag. 137.



novis etiam ornatum phaleris, otiosis lectoribus recantari.

Fabulatoribus vexillum pridem erexerat celebrissimus Caramuel, qui, novo clarigationis jure usus, Balthidæ palinodiam objectantibus, Lemofii desertionem opponerebat; sublimde tamen, ut primis fabularum venditoribus solemne est. *Thomistarum est*, inquit, (1) nobis ostendere, an non *Pater Lemos olim Romæ, physicas Prædeterminationes esse contra D. Thomam, docueris*. Atque, ut nullus ita delirat, qui non aliquem suffragatorem statim habeat; Caramuelem non longo intervallo sequebatur Christophorus Ortega, vir figmentis obtrudendis feracissimus: *Magister Lemos*, addebat iste, (2) *physicarum prædeterminationum Dominicanorum Romæ propugnator, eas nihilominus contra S. Thomam esse, publice ibi docuisse fertur*. Nec dubitandum, quin brevi unus aliquis oriturus esset ex eadem fabulorum natione, qui figmentum adeo putidum, uti rem compertissimam, affirmasset, nisi, visis eximii Lemofii editis Operibus, calumiam compressissent. Quæ certe si prius publicæ luci data essent, nemo omnium, non Caramuel, non Ortega ita famam suam in orbe litterario commisisset, ut rem adeo incredibilem efficeret. Vix enim Opere in tanto pagina occurrat, quæ physicam Prædeterminationem non spiret. Nec vero quisquam erit, opinor, qui decantatam ab Lemofio palinodiam velit, post adornatum istud Opus. Cum enim varia in eo recensent (3) adversæ sententiæ opuscula, ad annum 1623, edita, necesse omnino est, ut suum ipse Opus vel scripserit, vel recognoverit saltem anno illo, qui sextus ante ejus obitum fuit: atque ita ad illam ætatem annorum septuaginta, & octo (tot enim eo tempore numerabat) physicam prædeterminationem propugnari. Quis autem residuam ætatem ferendis publici Regentis oneribus parem dixerit, ut quod fingitur publice doceret? Etsi nec antea quidem, nec unquam in vita, Lemofium Romæ publice legisse, certo probent Collegii Minervitani Tabulæ; in quibus cæteros inter studii Regentes Lemofius nusquam legitur.

Sed ecce novam eo in theatro fabulam agit Leodiensis Actor, a me non semel in superioribus, & in Præfatione pro suis meritis ventilatus, fuisse Caramuelis, cujus ad hariolandum suffragio nititur, sensum minus intelligens, novum Lemofio affingit palinodiæ genus. Eum scilicet adversus physicas prædeterminationes, non solutis quidem Auxiliorum Congregationibus, docuisse Romæ, sed antequam Congregationes illæ haberentur. *Noveris, inquit ille, Abbatem suum alloquens, Dominicanum illum, qui in iis Disputationibus confidenter defendit, prædeterminationem ex D. Thomæ sententiâ debere admitti; eundem, inquam, illum Dominicanum, ut eruditus quidam Episcopus scribit, paulo antea Romæ oppositum docuisse. Sic nempe, sua ut figmenta libentius obtrudant, intestino dissidio committuntur fabulatores, dum mutuas sibi videntur conferre dexteras. Nec etenim eruditi sui, ut appellare lubet, Episcopi, cujus suffragium implorat, sensum attigit audacissimus blatero. decantatam quippe post solutas Congregationes palinodiam effutierat Caramuel, jam satis a me confutatus; nec Romæ, quod caput est, unquam ante ortas disputationes aut docuit, aut etiam fuit Thomas de Lemos, ut quidquam illic contra physicas prædeterminationes ante id temporis scriberet, aut suis auditoribus traderet. In Hispaniis quippe toto vitæ tempore subsisterat,*

cum primum anno 1600. Romam missus, causam Divinorum Auxiliorum, triennio in antecessum inceptam, promovit, publico sui Ordinis nomine. Quidnam ergo futurum tandem aliquando, speremus, ut quidpiam forte Parisiis a Lemofio adversus gratiam efficacem scriptum, aut publice dictatum in scholis, obstant, ut eandem illam decantatæ palinodiæ fabulam novis pigmentis obducant?

Idem pene in Guiselleo Estio videre fuit, cui ex eodem tripode divinatores festiva nimis liberalitate non abimilem palinodiam affinxerant. Agebat Vir maximus Duaci, ubi pro Regii Professoris munere lectiones habebat. Nescio, quid ei inter docendum, aut legendum exciderit, unde Molinianus in speciem fuisse videretur. Nihil morantur Patres, protinus Estium a suis partibus pronuntiarunt: quod ne quis ignoraret, id suis scholasticis tradiderunt. Nec dubium, quin & hodie id ipsum alii refricarent, si morte præventus Estius, impactam calumniam a se amovere non potuisset. Amovit tamen, mentemque suam, sicut & totius rei historiam, nobis expositam reliquit, in Oratione publice habita 19. Decembris 1609. Quæ sic habet.

„ Superioribus diebus allatum est ad me scriptum quoddam, publice dictatum a Patre Lectore Theologia in Aquicincino Collegio: in quo ille dum ostendere vult, doctrinam suam, quam prolixè tradidit, de Gratia, & Prædeterminatione, non esse novam neque in Lovaniensibus Schola Theologica, neque in Duacensi; id inter alia probare nititur ex quibusdam mens verbis, quæ a me in hac Duacensi Schola dicta, vel dictata fuerunt, cum docerem primum, & secundum Sententiarum, videlicet ante annos quinque, vel sex. Cui, ut, salva charitate Christiana, quam invicem debemus, respondeam, primum omnium, ne quis ex hujusmodi scripti lectione suspicetur, me vel affectu quodpiam sinistro, vel alia quavis occasione, sententiam de Prædeterminatione, & Gratia Christi, quam aliquando tenuerim, mutasse in contrariam; plane declaro, me, ex quo tempore in dogmatibus Theologicis aliquid intelligere ceppi, semper ab istis opinionibus, quas Lector se tradidisse profiteretur, fuisse alienissimum, semperque existimasse, eas & sacra Scripturæ, & doctrinæ SS. Patrum, maxime eorum, qui de gratia Christi contra Pelagianos accuratius scripserunt, ut Augustini, Prosperi, Fulgentii, neququam esse consentaneas: adeoque meæ intentionis nusquam fuisse, ut in prælectionibus meis, aut disputationibus aliquid dicerem, aut dicerem, ex quo ille opiniones probari possent; ac multo minus, me eas, vel earum aliquam, ex professio de cathedra docuisse. Quare, si quid forte esset alicubi in scriptis, aut dictatis meis, ex quo per apparentem ratiocinationem deduci posset aliquid talium opinionum, nullo modo existimare debent studiosi, me propterea tale quid aut sensitse, aut docuisse: nisi putare velimus, omnes Patres, aut Doctores Scholasticos, adoque, & in Scripturis Spiritum Sanctum, sensitse, & docuisse ea omnia, quæ homines, diversissima opinantes, pro suis opinionibus, ex illis se credunt deducere: quod quam sit absurdum existimare, nemo est, qui non videat. Si quis autem meam de absoluta Dei prædeterminatione, deque efficaci Gratia Christi sententiam agnoscere cupit, eum remitto ad ea, quæ de utroque argumento ex professio do-

„ cui,

„ cui, & dictavi, super Primum, & Secundum Sententiarum. Nam iis locis tam aperte meam sententiam exposui, & quidem cum expressa refutatione dogmatum contrariorum, ut si quis eam requirere dignatus fuerit, facile sit intellexurus, quam ego doctrinam illo tempore tenuerim, ac publice de Cathedra tradiderim; nempe consentientem plane cum ea, quam ego ipse hodie teneo, & Facultas hæc Theologica ab initio semper tenuit; longissime vero discrepantem ab ea, quam Lector se tradere profiteretur: Et idcirco frustra ab eo in meis scriptis quaeri, unde sua confirmet, & Scholam Duacensem in suas partes vel invitam pertrahat.

Pari invidia oneratum secutis temporibus vidimus Thomam Turcum, Ordinis Prædicatorum Præpositum Generalem, cujus verbum in publicis Thesisibus casu emissum, tanquam Oraculum de sanctiori Cortina factum, exceperem Moliniani Professores, ut Thomistis physicarum Prædeterminationum assertoribus cornua affingerent. Ludis omnibus, ac cachinnis digna res est. Thesis publicas anno 1647. Valentie in Generalibus Ordinis Comitibus habebat P. Antoninus Reginaldus, ingentis tunc ætatis juvenis, quam magnis postea virtutibus, ac meritis cumulavit. Theologicas assertiones de reali, ut vocant, rerum omnium præsentia in æternitate, deque Divina futurorum in decretis cognitione, Thesisibus inscripsit, communem Scholæ Thomisticæ sententiam defensoris. Objectis pari ingenii elegantia, & eruditione satisfecit vir religiosus. Finita exteriorum disputationum collatione, brevem vitationem habuit Præpositus Generalis, ut Religiosi respondentis vires intimius exploraret; & eradito Confessui, aliquid ex ipso audire cupienti, morem gereret. Objecit ergo Reverendissimus Pater, mutuo secum pugnare ambas assertiones; aut certe alterutram abundare: frustra scilicet Dei decretum desiderari, quo futura videat, si hæc in æternitate præsentia cognoscantur: aut contra, frustra hæc in æternitate præsentia cognosci, si in ipso Dei decreto videantur.

Respondit eruditus Defensor, neutrum abundare, quin potius alterum ex altero sequi: ex decreto scilicet, quo Deus futura prædestinat, consequens esse, ut hæc æternitate præsentia fiant. Injicit Reverendissimus Pater, nusquam, inquit, Doctorem Anglicum ad ea decreta confugisse, ut certam futurorum notitiam Deo vindicaret, sed eam ex una eorumdem præsentia in æternitate perpetuo derivasse. Quin & addidit (honoris ambitum, non secus ac eruditionem in defensore probaturus) eum se Magistrum extemplo renunciaturum, si vel unum Doctoris Angelici locum daret, ubi Divinam futurorum scientiam ostenditur, ad ea decreta confugisset.

Verbum, velut injectam avidis faucibus, offam, vorarunt, Moliniani Professores. Præpositum Generalem, a suis sequegem, ad Moliniana castra transiisse, conclamantur, secutis inde temporibus: utpote qui in clarissimo Confessu, ac spectante delibato totius Ordinis flore, D. Thomam procul ab Thomistarum sententiâ stricte, contestatus esset: quodque ille, obijcendi occasione, ac præter mentem (ut inter disputantes usuvenit) opposuerat, uti certam ejus, ac deliberatæ mentis assertionem, libellis, ac scriptunculis evulgarant. Neque vero id satis, sed quod is de Divino decreto, futuris prænotendis inutili, dictatam, ad physicas prædeterminationes præpotere detorsere; quasi eas ille a D. Thoma peregrinas asseruisset, de quibus tota illa Disputatio ne verbum quidem exciderat. Eruditissimum Generalem, in hæc

verba loquentem, passim ubique prodidere: *Fateor, Prædeterminationes physicas esse doctrinam plurimum Thomistarum, sed a S. Thoma longe aberrantem: quibus, si mihi ostenderit, S. Thomam alicubi favere, promitto tibi Magistrum.*

Verum, incalede proflus, atque intemptive in eam fabulam ingressi sunt: ac sicut aliam nescio quis cunctando restituit rem, ita & isti precipitando perdidit. Necdum enim rebus humanis exemptus erat Reginaldus, qui Thesis in eo generali Ordinis Confessu defenderat, dum has illi nannias canerent, & ex Thoma Turci suffragio sibi plauderent, dissimulato totius disputationis argumento. Idcirco ab Reginaldi Præpositis æstimatum est, e re sua esse, ut totius rei gestæ seriem secundum juris formulas, & interposito Sacramento, testaretur, antequam e vivis excederet; erat enim tunc Reginaldus ætate atque exigua spe vitam trahens. Instrumentum, Notarii publicis tabulis inscriptum, subijcitur; ne virti, in omnem vellicandæ Scholæ Thomisticæ occasionem intenti, pro more in posterum fabularentur.

„ NOTUM sit omnibus præsentibus, & futuris, quod, cum a pluribus annis ex variis Regionibus, Provinciis, & Regibus delatum ad nos fuerit, quosdam parum sincere vulgasse, quod Reverendissimus Pater Thomas Turcus, olim Generalis Ordinis Prædicatorum, in Capitulo generali Valentie in Hispania anno 1647. in Thesisibus propugnatis nomine Provinciae Tholosanæ, die lune, post festum Pentecostes, adversus illum, qui eas tuebatur, arguendo, indicasset, S. Thomam in nullo suorum Operum loco fuisse sententiæ, Prædeterminationem physicam assentiri: Idcirco Nos Prior Conventus Tholosani, Ordinis Prædicatorum, & scire, & promulgare omnibus veritatem cupientes, vocavimus R. P. F. Antoninum Reginaldum, tunc temporis in Academia Tholosana Professore, quem vocant Conventualem, & nunc in eadem Professore publicum, & Regium, qui in præfato Capitulo Valentino pro Provincia Tholosana tuebatur Thesis, & inquisivimus ab eo rei gestæ veritatem. Ille vero jam fere septuagenarius, paratum se esse ad dicendam veritatem, eamque juramento firmandam respondit. Illum ergo adduximus coram amplissimo, & perillustri Domino du Four, Archiepiscopo Ecclesiæ Cathedralis, & Vicario generali ejusdem Ecclesiæ Tholosanæ, Sede vacante, & coram Notario & Testibus infra scriptis; ut ibi juratus circa hæc diceret veritatem.

„ Dixit ergo præfatus P. Reginaldus, anno illo 1647. in Capitulo generali, Valentie in Hispania celebrato, in Thesisibus, quas pro Provincia Tholosana tuebatur, ita rem gestam esse. Postquam plures disputasset, Reverendissimus P. Thomas Turcus, Generalis assumptus duas ex Thesisibus agitatis, videlicet, eam, quam ego P. Reginaldus proposueram, de præsentia reali omnium rerum, nobis futurarum, in æternitate; alteram de cognitione Divina futurorum in decretis: & argumentatus est præfatus Reverendissimus contra me, dicens: quod alterum ex his duobus mediis cognoscendi futura, esset perfectum: si enim Deus cognoscit omnia, nobis futura, in reali eorum præsentia in æternitate, superfluit decretum efficacem, in quo Deus illa eadem cognoscit: si Deus illa cognoscit in decreto, superfluit illa præsentia realis in æternitate. Respondi, neutrum esse superfluum; immo unum sequi ex alio: ex decretis enim sequitur præsentia realis in æternitate. Replacavit Reverendissimus Generalis: Nunquam S.

V v

„ Tho-

(1) Lib. I. Theol. fund. cap. 1. fund. 1. Thesi. 3. (2) Cetti. 3. de Doctr. disp. 1. q. 5. cetti. 2. m. 3. (3) Tom. 1. q. 6. cap. 2. pag. 130. © 288.



Thomas recurrit ad decreta, sed ad præsentiam in æternitate: & si mihi ostendas vel unum locum D. Thomæ, in quo recurrit ad decreta, ex nunc pro tunc creo te Magistrum Theologia, contra jura, & consuetudinem tuam Provinciam. Tunc ego Pater Reginaldus, qui ex aliis capitibus noveram, quod P. Reverendissimus Turcus vellet tentare, utrum ambirem Magisterium, respondi: De Magisterio, quod offert mihi vestra Reverendissima Paternitas, gratias ago: novit vestra Reverendissima Paternitas nos in nostra Provincia non acceptare Magisteria. De locis autem D. Thomæ, vestra Reverendissima Paternitas, alter Thomas, novit illa; nec opus est illa citare. Insuffurrant fere omnes: Cita locum, cita locum; & fies Magister. Ego tamen peristi in mea sententia. Urgebat Reverendissimus Generalis: Noli mihi adulari; sed ostende mihi locum D. Thomæ, in quo ipse dicat, Deum cognoscere futura in decretis suis, ostende. Peristi nihilominus in mea Responsione, ne viderer ambire Magisterium. Post multa hinc & inde, semper de illa & eadem questione, sub finem disputationis dixit mihi Reverendissimus P. Generalis Turcus: explica tuam sententiam.

Explicavi hoc passo, dicens: quod, cum res non possit de possibilibus fieri futura in tempore, nec præsentibus realiter æternitati, nisi per aliquam causam; & illa causa nulla possit esse alia, quam Deus libere agens, & has potius, quam alias volens esse futuras in tempore, & sibi realiter præsentibus; idem prorsus est dicere, quod Deus cognoscit res, ut realiter præsentibus æternitati, & dicere, quod illas cognoscit in decretis, quia per decreta sunt præsentia æternitati. Quare autem D. Thomas fere semper recurrit ad præsentiam rerum in æternitate, quando agit de cognitione, qua Deus cognoscit res nobis futuras, ratio est, quia vult reddere rationem, cur Deus eas cognoscit scientia visionis; visio enim corporea debet terminari ad res præsentibus; & ideo D. Thomas recurrit ad præsentiam rerum realem in æternitate, quando agit de scientia visionis: quamvis aliquando, cum non agit de scientia visionis, dicit, Deum cognoscere omnia, nobis futura, in sua voluntate, ut causa, nimirum determinata per decretum, ut constat ex eodem, in primo contra Genes cap. 67. & 68. & alibi sæpius, ubi expresse Divus Thomas, dicit, Deum cognoscere ab æterno actus nostros liberos, in sua voluntate, ut causa.

His a me dictis, acclamant quidam: Citavit locum: fiat Magister. Sed Reverendissimus Generalis, annuentibus, Archiepiscopo, & Prælege Aragoniæ, qui aderant, finem disputationi imponi, præcepit. Hanc esse veram illius rei narrationem, tacitis Sacrosanctis Evangelii, juro, & protestor coram Deo, & Sanctis Angelis ejus, in manibus vestris, Amplissime, & Perillustri Archidiacone, & Vicari Generalis, jubente, & præsentibus R. P. Joanne Francisco du Four, Ordinis Prædicatorum, Conventus Tholosani Priore, & Sacra Theologia Professore, præsentibus etiam Notario, & Testibus infra scriptis.

Uade juro, & protestor, ac declaro sub eodem Juramento, falsum esse, quod Reverendissimus P. Generalis dixerit: Fateor, Prædeterminationes Physicas esse doctrinam plurimum Thomistarum, sed a Sancto Thoma longe aberrantem; quibus, si mihi ostenderit, S. Thomam alicubi favore, promitto tibi Magisterium. Falsam etiam

declaro sub eodem Juramento, eundem dixisse mihi: Ostende mihi locum S. Thomæ, in quo Physicam Prædeterminationem defenderit; & ego te creabo Magistrum in Religione, contra Constitutiones tuas Provincie. Falsum sub eodem Juramento declaro, quod alii sic narrant: Reverendissimus P. M. Thomas Turcus, Generalis Ordinis S. Dominici, cum in Capitulo generali Valentie, Mensis Maio, anno 1647. interesset Disputationi, in qua Hispanus Thomista ex Provincia Tholosana tuebatur Physicas Prædeterminationes, tantquam a S. Thoma edoctas, assumpto argumento Excellentissimi D. Ludovici Crespi de Boria, Episcopi Placentini, tunc Præpositi Muri-veteris, oppugnantis Prædeterminationes Physicas, contendensque, non esse sententiam S. Thomæ; idem cum esset versatissimus in S. Thoma, semel, & iterum dixit: Ostende mihi locum, in quo S. Thomas Physicam Prædeterminationem doceat, & creabo te Magistrum in tua Religione, contra Constitutiones tuas Provincie: repetendo multas, ostendens, ostendens, Quatuor Doctores Theologi Universitatis Valentie testantur sub Juramento, coram Notario, se illa verba audivisse. Declaro itaque hæc narrationem, quantum ad id, quod dicit de Prædeterminatione Physica, falsam omnino esse: Nullo enim modo agebatur de Prædeterminatione Physica. Sic me Deus adjuret, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Et signatum erat.

#### F. ANTONIUS REGINALDUS.

Nos Joannes du Four Presbyter, Jurium Doctor, Canonicus, Archidiaconus Ecclesiæ Tholosanæ, nec non Vicarius Generalis dictæ diocesis, Sede vacante, testamur, præsentibus R. P. Antonium Reginaldum, qui supra, hoc Juramentum præstitisse in manibus nostris, præsentibus R. P. Joanne Francisco du Four, Priore Conventus Prædicatorum hujus Civitatis, præsentibus etiam Notario, & Testibus infra scriptis. In cuius rei fidem, his, sigillo nostro munitis, subscripsimus, die 10. Septembris 1674.

Et signatum erat.  
Du Four, Vicarius Generalis.  
F. Joannes Franciscus du Four, Prior Tholosanus.

Ego Raymondus Dangla, Presbyter, & Ecclesiæ Tholosanæ Habituatus, præsentibus.  
Ego Jacobus Brouffe, Presbyter, & in Ecclesiæ Tholosanæ Habituatus, præsentibus.  
Sawestre, Notarius Apostolicus.

Et impressum erat sigillum in cæra viridi.

Longe ergo a physicis Prædeterminationibus quæstio aberat. Quamquam, etiam quid durius de iis inter arguendum pronuntiasset Præpositus Generalis, quod minus Thomistæ concoquerent; nemo prudens arguentis, ac disputantis verbum, veluti certam ejus, atque constantem sententiam, accepturus esset. Cæterum, quid de iis fenserit Thomas Turcus, quid docuerit, melius forte cæteris dixerim, qui Cremonæ in publico Ordinis Musæo legerim dictata ab eo, scripta Theologica hoc ipso de argumento, dum Bononiæ Professorem ageret. Sed hanc spartam exsecutus est ante me Eruditissimus, ac piissimus Pater Antonius Maffoulié, in D. Thoma sui interprete, tom. 2. Dissert. 4. quæst. 3. Art. ult. ubi non pauca ex Apographo, publicè scribæ manu recognovit, deservavit, ac publicè juris fecit.

Unus forsitan omnium erit Gonzales Albenda, quem ex Dominicanis Romæ disputatoribus de-

fen-

fenstatam ibi doctrinam exiisse velint, colligantque non ex obscuro rumore, aut verbulo, eusdem, & inaniter jactato, sed ex scriptis post habitas Congregationes elaboratis. Ita quidem colligere sibi putant, Christophorus Ortega, (1) & alii, ex iis Gonzalesii verbis, 1. part. disp. 58. sect. 2. n. 1. Dico primo contra primam sententiam Thomistarum recentium: Non oportet, quod gratia præveniens, intrinsece inbens, que in uno est efficax, sit etiam efficax in alio, majori tentatione tentato: Ac proinde non est verum dicere, quod gratia præveniens, intrinsece inbens, que aliquando est efficax, debeat esse efficax semper, & in quocumque supposito, equaliter tentato. . . . D. Augustinus, & D. Thomas explicant gratia prævenientis efficaciam per contempserantem, & congruentiam ejus cum subjecto, in quo reperitur: ut videlicet eo modo quis vocetur a Deo, ut impedimenta, & tentationes temperentur a Spiritu Sancto juxta modum, & quantitatem interne inspirationis, quam novit se dedisse ei, qui vocatur.

Verum nec præsentem Auxiliorum historiam fati norunt, qui Gonzales Dominicanis Romæ Disputatoribus annuerant, (2) nec se satis in hisce quætionibus decos ostendunt, qui id palinodice loco esse velint, aut Moliniani doctrinam consonum: Novam quidem exponendæ gratiæ viam aperuit Gonzales Albenda, a reliquo Thomistarum grege minus tritam, sed que a Molinismo æque divertat, & ad intrinsecam efficaciam perinde ducat. Nihil quippe sibi vult aliud, quam Deum pro majori, minorive hominum corruptela, tentationumque gravitate, gratiam, nativa sui entitate plus, minuve potentem elargiri, eoque sensu privatis hominum assensibus, tentationumque periculis temperare; ut quod uni, cætera occasione vocando, par esset auxilium, non aliis, nec quoquo tempore opportunum intelligatur. Quid hic porro Moliniani congruitati committunt? Cum alias tota passim disputatione 57. univocis efficaciam gratiæ intrinsecam, & ab uno Deo profectam, energiam ascribit; ut eos in unoquoque peccatore fructus edat, quibus edendis congruam fecit: eo plane modo, quo sua cuilibet igni ingenta virtus est, a ligno nec pendens, nec accepta prorsus; etiam quælibet ignem ligno cuilibet comminuendo parem, nemo dicat. Quantum autem cum Thomistis dogmatis summa cohæreat illa Gonzalesii expolitio, quam parum ab altero recentiorum, ut vocat, Thomistarum exponendi modo distideat, si quis scire avert, legat eruditissimum æque, ac religiosissimum Patrem Antonium Maffouliéum, in D. Thoma sui Interprete, tom. 2. dissert. 3. quæst. 6.

#### CAPUT XXVII.

Thomas Campanella, & Franciscus Aravio, Episcopus Segovienfis, adversus novissimi Monitoris dicitatem vindicantur.

Quid ergo? An forte, qui nihil in primis cause hujus Actoribus habent, quod rodant, ut illos ad palinodiam adactos ostendant, alios Scholæ Thomistice Principes obrudent, quos domestica castra deseruisse, fabulentur? Fuit hæc nuperi Monitoris ultima ratio, qui, ut clavum clavo truderet, meretricissimo Rhenensium Præsuli, Theologos nonnullos Ignatianos Moliniani novitatus opposenti, sic suo libello, clarigationis veluti jure, reponerat. Si Prædicatoribus adversus Physicam Prædeterminationem laudare velim; appellare ex iis possem, qui ubi Serry Tom. I.

longe apud suas loca erant, quam unquam fuerit apud Socios Typhanus ille, quoniam Mariana, & Henriquez sociasti: ac inter illas in primis, celeberrimum Campanellam, & Aravium, Episcopum Segoviensem; quorum ultimus, Physicam Prædeterminationem verbis, modisque pessimis despiciam habet; minisque seria comparatione ludibrio vertit, quam verferre hic pudor est.

Quis id legat, ac non statim existimet, viros illos non modo a Physica Prædeterminationis doctrina procul fuisse, sed & illam probis, atque conviciis profcidisse? Ea quippe fiducia suas Monitor ille fabulas agit, ut veras, ac certas historias nemo non putet.

Certe quod atrinet Campaellam, liberum nobis esset, eum, ut minus æquum controversiarum Theologicarum arbitrum, exflare. Quamvis enim esset ille Philosophus, Astrologus, Medicus præstantissimus; inferioris tamen subfelli Theologus habebatur; liberioris, ne dicam audacioris, ingenii vir, novitatibus plus satis indulgens: Aristoteli vero, cujus principis, magna parte voluitur doctrina Thomistica, adeo intensus, ut assertiones ejus omnes Aritates appellaret, eumque (quod ridendum magis) nunquam ab Angelico Doctore lectam, efflueret. Quamverò hujusce sui commentarii rationem afferret, audi lepidam satis, atque festivam: quod nempe, agebat ille, a Gentilium Philosophorum lectione abstinenti, decernant FF. Prædicatorum instituta, quorum erat observantissimus D. Thomas: cum tamen ignorare ipse non posset, Doctorem Angelicam magnam Aristotelicorum librorum partem eximisi Commentariis adornasse.

Mirandum immo, tanto nunc in prætio apud Molinianos haberi Campanellam, quæ non ita pridem curto vix esse licitabatur; jamque, uti virum celeberrimum, ab iis ipsis in calum esse fieri, a quibus ante annos aliquot tantum non in culnam detrusus est. Tamen visus sit, inquit Theophilus Raynaudus, per aliquod tempus Cymbalum mundi, tamen re vera est ignorantissimus; ita ut ne ipsos quidem terminos, sive Philosophicos, sive Theologicos intelligeret. Sententias autem in verbis, non modo a S. Thoma, sed etiam a sensu cujusvis sancti hominis adeo abhorrentes, ut desipere potius videatur, quam disserere. Hæreses crasse in ejus libris tam multæ, & tam inexcusabiles occurrunt, ut mirum sit, adeo pinguem Scriptorem Superioribus annis invenire potuisse laudatores.

Verum nihil ista moramur, nec ejus de doctrina Thomistica judicium resugimus; modo quid de illa ultimo fenserit, rebusque maturius tandem expensis pronuntiaverit, pendatur. Licet enim is, quo tempore junior scriberet, in suis contra Lutheranos Opusculis, de gratuita Prædeterminatione, & Gratia seipsa efficaci minus digne fensisset; senior tamen factus, ac sanior, præproperam in sentiendo festinationem castigavit. Perspicuus est ea de re locus, & ab omni ambage detectissimus. Parte secunda Metaphysicorum, lib. 9. cap. 13. art. 1. pag. 229. ubi ea recolens, que de Prædeterminatione, prævisis meritis nixa, gratiæque efficaciam, ex bono humanæ voluntatis usu suspensa, quondam alias pronuntiaverat; ab ea sententia abductum se tandem tum pia lectione, tum maturiori controversiæ meditatione, falsus est. Integrum Campanellæ locum dabo, ne quis harrolari me putet. Nos in Dialogo contra Lutheranos, cum sapientioribus sentientes, & gratia Dei aliquos salvari, quoniam salvare peritus ad esse; & ideo a Deo, ut Patre, omnes voluntate, prævisionem monitorum antecedente, esse Prædeterminatos tam ad summum

V v 2

num

(1) Cont. 3. De Decret. disp. 1. (2) Paul. Leon. Salmanicenses. Ortega. Souges.



num bonum naturale, qui est Deus naturaliter ad-  
piscendus, quam ad supernaturalem beatitudinem in  
Deo. Proptereaque omnes creat ad imaginem, & si-  
militudinem suam ad se; neque odians facit aliquos  
Deus, sed omnes ex amoris exuberantia; sicut nul-  
lus Pater facit filios propter furcam, ut Salomon,  
& David docere. At voluntate consequente eos  
tantum reprobari a Deo, ut Judice; non quos pec-  
caturus, sed quos obnoxiosos scit morituros in pec-  
catis: ergo ex prævisis demeritis damnari; quoniam  
damnatio ad non esse pertinet: nam Deus vult,  
omnes homines salvos fieri, ut docet Paulus Apostolus;  
& neminem perire, ut docet Petrus; & illuminat  
omnes homines, ait Joannes; sed quos prævidet  
abuti donis salutariis, usque in finem, obnoxiosos,  
sequenti ad prævisam obstinationem voluntate repro-  
bare: & propterea usque in finem præmoveri ad bo-  
num auxilio generali omnes, quod ex nostro bono usu  
efficax fit; liberi enim sumus. Quia in re, cum  
multa meditarer, & S. Brigittæ Revelationes  
legerem, in libro 6. Quæstionum, suspendi sen-  
tentiam, & Divinam expecto illustrationem.  
Illud tamen inconcusse sustineo, esse in nobis  
libertatem ad volendum, & nolendum; & au-  
xilium, ut entitas addita est, non fieri a no-  
bis efficaciter, nullam enim entitatem dare possumus,  
nisi a primo ente, & cum primo; ergo fieri  
efficax a Deo effective, a nobis vero merito-  
rie tantum, ex virtute tamen prioris gratiæ;  
(1) "quam non respicimus, sed cooperamur, acti  
ab ea, sicut liberi a Patre, non sicut servi a Do-  
mino: quippe qui possumus respicere gratiam, & de  
fæsto habitam respicimus. Neque enim nos gratia de-  
serit, nisi deserit, ut probant Concilia Sanctorum, &  
Codices veracissimi; sine enim penitentia dat illam  
Deus nobis, ut testatur Apostolus.

An itaque jaclandus adeo, & in Thomisticam  
scholam contorquendus celeberrimus Campanella,  
qui Molinismum, in quem pro ingenii libertate  
confenserat primum, postea retrahavit? Id si ti-  
ceat, quidni & Augustinum Semipelagianis annu-  
merent? huic etenim luto hæserat primum; at  
posterioribus curis emendavit errorem. Addam  
etiam, nec addidisse pigebit, in Molinæ senten-  
tiam præjudicasse Campanellam ipsum, quo ei  
tempore adharebat. Prædestinationem enim, ex  
prævio liberi arbitrii usu suspensam, (quæ Mo-  
linæ sententia est) Origeni, ut primo parenti,  
perpetuo tribuit: Prædestinationem e contrario,  
invidio decreto innoxiam, omniaque humanæ vo-  
luntatis merita, occasiones, conditionesve ante-  
vertentem, (qualis in Thomistica Schola defendit-  
ur) Augustino, Prospero, Hilario, Fulgentio,  
uti primis assertoribus, adscripsit. Quæ duo quan-  
tum Molinianis indecora sint, & gloriosa Tho-  
misticis, nemo negabit, qui Origenem Pelagianis  
erroris fontem agnoverit, Augustini vero de Gra-  
tia, & Prædestinatione sententiam ab Ecclesia  
Romana probatam, adoptatamque, non dubita-  
rit.

Sed quid tandem hoc de argumento Franciscus  
Aravio, Episcopus Segovienis? Ille, inquam,  
qui physicam Prædeterminationem (si penes Mo-  
nitorem nuperum fides est) verbis, modisque pes-  
simis despiciatam habuit, minusque seriis com-  
parationibus ludibrio vertit. Dolendum maxime, si  
quod illi Monitor tribuit, veritate niteretur, ac  
ipsum physicæ Prædeterminationis caput oppu-  
gnasset. Effer illa profecto scholæ Thomisticæ la-  
bes non modica: erat enim Aravio Theologi  
nomine vere dignus, Primariæ Cathedræ Salman-  
tinæ Moderator, ad Episcopales infulas ob egre-

giam doctrinam assumtus, quas tandem ardenti-  
ori paupertatis, & solitariæ vitæ studio abdicavit.  
Verum, cum ejus scholasticos Commentarios cum  
ea supplicis Monitoris lacinia confere, videor  
mihî alio in mundo versari: quo plus evolvo,  
lego, relego, eo major admiratio subit, atque  
etiam stupor ingens, qua fieri forte poterit, ut  
is doctrinæ Thomisticæ oppugnator, atque deri-  
sor confidentissime pronuntietur; quem ego, nisi  
forte perspicillibus deludor, ac fallor, ejusdem stre-  
num defensorum invenio; & nulli (quod ipsum  
rei caput attinet) Thomisticæ secundum.

Is etenim quæstionem movet ex instituto, ac  
prolixè fati, in suis ad 1. 2. commentariis, ad  
qu. 109. art. 5. D. Thomæ, in quo consistit effi-  
cacia Divinæ Gratiæ? Multisque positæ fundamen-  
tis, quibus auxiliis prævi naturam exponit, Quod  
scilicet natura prioritate (sunt etenim ejus verba)  
præcedit operationem, & determinationem voluntatis,  
habetque illam infallibiliter sibi conjunctam, ac præ-  
determinationem appellatur; hæc demum conclusio-  
nem ponit, multitudine statuit argumentum, ex Scri-  
pturis, Patribus, Conciliis, & Theologica ratione  
petitis: Efficacia Divinæ Gratiæ vocantis, & ad-  
juvantis in eo consistit, quod in se, & prout ve-  
nit a Deo, independentem a consensu humani Liberi  
Arbitrii, illum infallibiliter inserat; ita ut non  
sint simul hæc duo; videlicet Deum gratia efficaci  
moveri Petri voluntatem, v. g. ad actum contritio-  
nis, & quod talis actus non ponatur in esse: ac  
per hoc distinguitur a gratia auxiliante, quæ tan-  
tum est sufficiens. Hæc conclusio statuitur adversus  
Molinam lib. De Concordia liberi arbitrii,  
quæst. 14. disp. 37. cum aliis ejusdem Scholæ  
factoribus. . . . Hæc nostra conclusio defenditur ab  
Adriano . . . Banneſto, & Zumele, in suis ad  
1. partem, quæst. 14. 19. & 22. Commentariis.

Itudne est physicæ Prædeterminationis doctri-  
nam, a Molina impetitam, a Banneſto, & Zu-  
mele tam strenue propugnatam, confutare, lude-  
re, verbis, modisque pessimis despiciatam habere?  
Heu quam ima summis atra dies miscuit! Mo-  
linam, cæterisque ipsius Scholæ sectatores aggre-  
ditur ex instituto, oppugnatque aperto Marte Fran-  
ciscus Aravio; Banneſium, & Zumelem doctrinæ  
sue duces amplectitur, sequitur, excubitat: & hic  
tamen ab nostro Monitore, uti Thomisticæ Scho-  
læ defensor, ac Molinismi Patronus, confidenti-  
sime pronuntiat!

Sed & audi Francisci Aravii probationem, ex  
ratione petitam, qua statuta conclusionis sensum,  
ratiocinatio per se satis apertum, cumulatus aperit.  
[ 2 ] Probatum sum denique ratione Theologica, a  
priori ostensiva, quæ sic habet. Prædestinatio est ef-  
ficax transmissio prædestinatorum ad æternam vitam  
per certam, & determinatam supernaturalis ordinis me-  
dia. At efficaci hæc transmissio non potest consistere,  
nisi Prædestinatorum adulatorum voluntates efficaci  
gratia vocante, & adjuvante prædeterminentur, &  
applicentur, ac infallibiliter velint uti mediis, a  
Deo preparatis, & dispositis, per quæ æterna vita  
est infallibiliter a prædestinatis consequenda. Ergo  
circa illas supernaturalis ordinis operationes, quæ sunt  
media, quibus electi adulti perveniuntur sunt ad æter-  
nam salutem, humanum arbitrium efficaci gratia au-  
xiliente prædeterminatur, &c. Quid eliquatius,  
quid apertius?

Equidem post statutum, multisque confirmatum  
argumentis Augustinianæ, ac Thomisticæ doctri-  
næ caput, quæstionem vocis, ac nominis instituit  
Vir eruditus; Num ea gratia prædeterminans ef-  
ficaciter, a se tam strenue vindicata, quæ rotam  
ab

ab ipso Deo efficaciam obtinet, & a liberi arbi-  
trii consensu nullatenus pendet, appellanda sit phy-  
sica, vel moralis? mavultque, moralem appellari,  
quam physicam; quod hæc ad genus moris spe-  
ctare videatur potius, quam physicæ, & naturæ.  
Recentium Thomistarum loquendi modum casti-  
gari cupit; Quia Deus, ut ait, voluntatem mini-  
me præmoveret, & applicat suo pondere naturali,  
adinstar agentis naturalis, & physici. Eas demum  
physicæ Prædeterminationis voces a Patribus So-  
cietatis primum inventas, observat; qui cum a  
Thomisticis gratiam, se ipsa efficacem, & a vo-  
luntatis assensu minime pendentem, propugnari,  
cernerent, eam ipsimet physicæ prædeterminatio-  
nis nomine nuncuparunt; nostrisque, ut iisdem  
deinceps vocibus uterentur, penè nolentes coege-  
runt. Verum sunt hæc terribilissima puerorum,  
quæ præcipitem Monitorem, suis servandis, &  
amplificandis finibus nimis intentum, deludere.  
Sunt hæc, inquam, verborum, vocumque ligilia,  
quæ doctrinæ caput non modo non lædant, sed  
certo supponant. Aravium audire sat erit, ut con-  
stat, quam caute Thomiticæ doctrinæ summam  
fatam, & reclamque reliquerit hoc ipso in loco,  
quo voces, & ab ejus hostibus primum inventas,  
minus probat.

Si autem iniquitas, num ista gratia vocans, &  
prædeterminans efficaci, appellanda sit physica, vel mo-  
ralis: Respondeo, quod non est appellanda simpli-  
citer, & sine addito, physica; sed potius moralis,  
vel physica cum hoc addito: nimirum, si physica  
idem sit, quod realis, & in se, ac de se, prout  
venit a Deo, efficaci. Pro cuius declaratione adver-  
to, quod hæc vox, physica, applicata motioni, &  
prædeterminationi Divinæ Gratiæ vocantis, incognita  
sunt Theologis antiquioribus, & inventa ab his,  
qui ejusmodi gratiæ efficaciam aveſtantur; hocque  
titulo objecta novioribus Thomisticis, ut ab ipsis vo-  
lenter, nolentibus, aut legitima proles sedata ad-  
mitteretur, aut odiosa, & iuvosa, contra arbitrii  
libertatem repudiaretur. Non secus, atque insans fo-  
ribus Ecclesiæ exponitur, ut ab ipsa volente, nolen-  
te, in curam, & tutelam recipiatur. Quare aut  
consilium hujusmodi gratiam moralem appellabis,  
cum Cajetano 1. p. q. 19. art. 8. Conrado in hæc  
prima sæculæ, quæst. 10. art. 4. cum Alvarezio  
lib. 3. De Auxiliis, disp. 3. & lib. 1. disp. 91.  
conclusionis 3. & Albenza disp. 58. sect. 1. num.  
5. ait, si malueris, Physicam cum hoc addito. Aut  
natis hæc distinctione, nimirum admittendo, illam  
esse physicam materialiter, quatenus includit physi-  
cam, & realem intellectus illustrationem, & con-  
gruam cogitationem, vel voluntatis motionem, &  
inspirationem: formaliter vero, id est, quoad mu-  
nus movendi, & applicandi voluntatem, non phy-  
sicam, sed moralem esse; quatenus illam præmoveret,  
& applicat, non suo pondere naturali, ad instar a-  
gentis physici, & naturalis, sed moraliter per mo-  
dum propONENTIS, illustrantis, persuadentis, & in-  
spirantis. Hæc ille, quæ fuscè admodum, ac late  
prosequitur.

En, ut vides, gratiam se ipsa efficacem, ac  
prædeterminantem agnoscit Franciscus Aravio:  
hanc a solo Deo efficaciam fortiri vult: a liberi  
arbitrii consensu nullo pacto pendere, monet:  
uno verbo, illam ipsam gratiam efficacem admit-  
tit, quam & Thomisticæ subistarum controversia-  
rum initio propugnabat, & physica prædetermi-  
nationis nomine Molinianis primitus nuncuparunt.  
En ipsam, ni fallor, Angelicæ doctrinæ sum-  
mam. Quid vero, si physice vocem usurpari no-  
luit, quam ab ipsis Scholæ suæ hostibus primum  
inventam existimavit? Est hoc non defertæ Scho-  
læ Thomisticæ, sed prudentis, & cauti judicii  
specimen. Timebat Æneas Danaos & dona fe-

rentes; timendos quoque Molinianos, judicavit  
Franciscus Aravio, verba, quibus gratia sese effi-  
cax exprimitur, subdole ministrantes. Quamquam  
nec physicæ vocem omnino refugeret, si physica  
idem sit, quod realis, & in se, ac de se, prout  
venit a Deo, efficaci. Quæ porro ab illo afferuntur  
infantis, Ecclesiæ foribus expositi, comparatio,  
non ipsam, ut notum est, physicæ prædetermi-  
nationis doctrinam ludit, veritque ludibrio; sed  
eam, ut ut maxime, voculam, seu verius Mo-  
linistarum astutiam, qui spurias Scholæ Thomisti-  
cæ voces obtulere, quas hæc suam in curam, at-  
que tutelam exciperet.

Gratiam igitur efficacem voluit Franciscus Ara-  
vio, qualem Janſenius, cæterique, ut vocantur,  
Augustiniani Theologi, semotis erroribus, profi-  
tentur, in delectatione victrici positam, ad mor-  
is potius, quam physicæ genus atrinentem, veri-  
tamen, ac proprii nominis efficacem, se ipsa vi-  
ctricem, ex voluntatis assensu minime pendulam,  
a sufficienti, re, atque entitate plane distinctam,  
voluntatis assensum infallibiliter, & indeclinabi-  
liter inferentem, quacum liberi arbitrii dissentus  
componi non possit. In eo asserendo, probando-  
que systemate totus per integras viginti paginas  
incumbit vir eruditus: leve duntaxat loquen-  
di ratione ablegata, quam minus a Patribus usur-  
patam invenit, totam Augustinianæ, ac Thomi-  
sticæ sententiæ summam tenuit. Hinc illa ad  
marginem præfixa nota, Corrigitur modus loquendi  
quorundam recentiorum de gratia physica prædeter-  
minante. Locutio ergo, non ipsa doctrinæ sum-  
ma, corrigitur.

Leve est itaque, quod ex Aravio solatium ob-  
tinet discretissimus Monitor: verba, voces, præ-  
terea nihil. Minus enim de retinendis physicæ  
prædeterminationis vocibus sollicitos fuisse Tho-  
misticæ causæ publicos Actores in Congregationibus Au-  
xiliorum, ostendimus hoc ipso in libro capite 9.  
modo doctrinæ caput (quod ab Episcopo Segovien-  
si strenue defenditur) tuerentur. Ex ipso  
quoque indicæ disputationis themate demonstra-  
vimus, in hoc uno iterisse contraversiæ summam.  
Num gratia ex sese, & ab intrinseco esse effi-  
cax; num vere, active, proprie voluntatem in-  
flecteret; num independentem a voluntatis assensu  
efficaciam obtineret: quæ omnia ab Episcopo  
Segovienſi conceduntur. Alterum vero de physicæ  
prædeterminationis vocabulo, ad gratiæ victricis  
energiam exprimentam usurpando, accessione tan-  
tum, ac veluti de mera quæstione nominis tra-  
ctatum esse; modo res ipsa, iis expressa vocibus,  
in tuto foret. In hoc etiam uno situm fuisse gra-  
vissimæ contraversiæ caput, non semel, iterum-  
que, sed pluries facti sunt Societatis Oratores;  
maxime vero sub Paulo V. Congregatioibus 4. 6.  
7. &c. Quæstionem quoque nominis missam fecit  
Ferdinandus de Bastida, Congregatione 4. ultro-  
que Dominicano dedit, nullam de physicæ præ-  
determinationis voce fore litem, si res ipsa (quam  
hic ab Aravio propugnatam, ostendimus) veri-  
tate niteretur. Neque unquam, quod sciam, ob  
impugnatam voculam illam, Molinæ negotium  
Dominicani fecerunt: de gratia veri, ac  
proprii nominis, efficaci, ex voluntatis assensu  
minime pendula, a sufficiente, re, atque entitate  
plane diversa, voluntatis assensum infallibiliter  
inferente, quacum liberi arbitrii dissentus compo-  
ni non possit, tota lis erat, tota quæstio.

Hæc omnia Monitorem novisse, opus erat,  
ne de ea Aravii qualicunque vitiligatione sibi  
plauderet; eumque ob vellicatam physicæ vocem  
Molinianis annumeraret. Alias verendum maxi-  
me, ne, si levi adeo, & evanido fundamento  
Molinianis copias auget, Janſenium ipsum, cæ-  
te-

(1) Ex virtute gratiæ habitualis mereri possumus, ut largiatur nobis Deus gratiam efficacem, quæ ab ipso  
ipso largitorum efficaciam habet. Hanc porro gratiam habitualement quandoque respicimus. (2) Pag. 455.